

12
2 G
4



LIBRI QVATVORdecim qui Aristotelis esse dicuntur, DE SECRETIORE parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios.

QVI SI ILLIVS SVNT, EIVSDEM METAphysica verè continent, cum Platonicis magna ex parte conuenientia.

OPVS NVNQVAM LVTETIÆ EDITVM, ANTE annos quinquaginta ex lingua Arabica in Latinam malè conuersum: nunc verò de integro recognitum & illustratum scholiis, quibus huius capita singula, cum Platonica doctrina sedulò conferuntur.

PER IACOBVM CARPENtarium, Claromontanum Bellouacum.





PARISIIS,

Ex officina Iacobi du Puys, è regione collegij Cameracensis, sub insigni Samaritanæ.

1571.

EX PRIVILEGIO REGIS.



Paulo Foxio, in ſecretiore Regis SENATV P. C. VIGILANTISSIMO, ET INTEGERRIMO.

Iac. Carpentarius S.



VI graui ære alieno præmuntur, neque ſe eo, etſi vrgeat ſtatus dies, poſſunt exoluere, hi vel ſolam rei domeſticæ anguſtiã vel publicam calamitatem nonnunquã cauſati, ab humanis creditoribus, qui nullo fænore debitores ſuos iugulant, leui munuſculo, in plures menſes, imò etiam in aliquot annos, ſeipſos facilè redimunt, modo hoc nullo dolo malo facere videantur. ***Ego*** *verò, Ornatiſſime & Humaniſſime Foxi, liberali ſponſione de noſtro Commentario in Alcinoum, qui comparationem Platonicorum cum Peripateticis complexurus eſt, iampridem tibi ſum debitor, nec adhuc ſoluendo, quanquã comperendinationibus meis exhauſiſſe videar fundum humanitatis tuæ atque patientiæ. Quare tentare volui quod mihi erat reliquum, num poſſent adhuc, rudi munere, menſes aliquot impetrari: præſertim cum liquido iurare poſſim nihil hîc ſubeſſe fraudis, ſed omnia proficiſci à ſingulari ſtudio cumulatè ſatisfáciendi expectationi tuæ, in eo opere quod quò auidius expetis, eo mihi maiorem cunctandi occaſionem affers. Quia quo plura colligo, eo minus mihi ſa-*

tisfacio: atque nonnunquam vereor ne in hoc ab aliquot annis parturientes monteis, tandem ridiculum murem dicantur peperisse. Ecce verò dum de eo cogito & in philosophicis nostris aduersariis singula euoluo, quaerens in eis quod tibi, nostrarum etiam nugarum auidißimo, placere poßit, occurrit opus hoc de secretiore parte diuinae sapientiae secundum Aegyptios, ante annos octo à nobis inchoatum, sed bellorum ciuilium calamitatibus saepius intermissum. Quod quia pleraque explicat in Platonicorum doctrina maximè abdita, non modo aptum visum est ad impetrandam in Alcinoo nouam mensium aliquot compendinationem: sed ad pleraque illorum decreta illustranda. In quibus frequentius eiusdem testimoniis in Alcinoo posthac vterer, si de authore ipso mihi constaret: aut aliis persuadere possem hoc Aristotelis esse, in quo plerisque locis maior supra naturam diuinitas apparet, quam quae à genio intra naturae fines concluso, potuerit emanare. Sed tamen quisquis operis author sit, in eo permulta spero fore tibi non ingrata, si de succisiuis horis, quae rarae in grauißimas occupationes tuas hoc tempore incurrunt, nonnullas tis legendis placeat tribuere. Quod vt facere velis te per tuam humanitatem rogamus atque obsecramus. Sic enim Alcinoi desiderium facile lenies: atque interea tempus dabis ad eum recognoscendum in quem nunc incumbimus, votis omnibus id expetentes vt breui in eiusdem editione tibi vni satisfaciamus. Nam mihi, vt quondam Plato Antimacho, pro iudicij tui grauitate & rerum philosophicarum recondita doctrina, eris instar omnium. Bene vale. Datum ex Vrbe, Calend. Septemb. 1571.



IDEM CARPENTARIUS, Philosophiæ studioso Lectori, S.

VTINAM mihi primum persuadere possem, Candide lector, deinde iustis rationibus tibi quoq; probare, opus hoc Aristotelis esse. Permulta in promptu haberemus, in quibus pro eo qui vno omniũ eruditorum consensu, naturæ genius appellatus est, quíque intra hanc cõstitisse putatur, & eiusdem lumine omnibus præluxisse, de diuinitate quoque, ad quam naturæ lumen vix, ac fortasse ne vix quidem, potuit peruenire, cum magistro Platone contenderemus: [illegible]cæléque, nisi me mea opinio fallit, obtineremus, quæ in magistri doctrina de Deo cælestibúsque intelligentiis, de primo intellectu agente, de Mundi animo, de ideis, de animorum nostrorũ immortalitate ac de Vniuersi procreatione & administratione per varios Dialogos & Epistolas sparsa sunt atque tãtummodo adumbrata, admiranda tamẽ magis quia cum nostra religione aliqua ex parte consentiunt, quam quod magnis rationum viribus confirmentur: ea in hoc opere sic esse expressa vt non modo illa Platonica longo interuallo superent, sed pleráque æquare videãtur quæ in religione nostra naturæ lumen omnino excedunt, suntque omnium vel maximè abdita. Adeo vt cum ante annos duodecim casu quodam in libros hos incidissem, mihi ante illud tempus prorsus incognitos, singulorúmq; capita auidißimè percurrissem, me mei tum valde cœperit pœnitere: quòd tandiu horum fructu caruissem, in quibus pleraque sunt ad intelligẽdam

comparationem Platonis cum Arist. necessaria: & ad ea explicanda quæ in philosophia sunt omnium præstantissima & adhuc perpaucis cognita. Quanquã quisquis horum librorum author extiterit, is certe se Platonem viua voce docẽtem audiuisse & pleráque ab eodem accepisse quæ scripta non sunt, aperte testatur cap. 5. lib. 1. Imo is ipse Aristoteles videri vult. Quoniã nominatim citat sua Metaphysica cap. 1. lib. 1. & cap. 7. lib. 12. itémque suos libros de Animo cap. 10. lib. 12. librósque de Cœlo cap. 13. libri eiusdem. Cui verò bono, alteri cuiuis authori esse potuit, vel sua tempora, vel alienũ nomen emẽtiri? Vel cuius humanitatis suum fœtum, multarum certè vigiliarum, à se ablegare alteriq; attribuere, ex quo is quisquis author fuit, sibi potuit maximam laudem comparare? D. Thomas libro de vnitate intellectus cõtra Auerroem, testis est Aristotelem scripsisse libros quatuordecim de substantiis separatis: quos vidisse se ait, sed nõdum in linguam latinam conuersos: eósque continuisse explicationem quæstionũ multarum de Deo, & de animo, quæ in Physicis & Metaphysicis non satis accuratè videbãtur esse tractatæ. Et Cicero lib. 1. de natura Deorũ, ea citat ex Arist. lib. 3. de philosophia, quæ cũ in huius Physicis aut Metaphysicis nusquam extent, magna ex parte ex hoc opere vidẽtur posse colligi. De recentioribus autem, Petrus Nicolaus Fauentinus in eo libro quem scripsit de animi immortalitate secundum Platonem & Aristotelem, pro Aristotelicis vtitur frequẽtissimis testimoniis ex hoc opere collectis. Idémq; facit Stephanus Cõuentius Bononiẽsis, libris sex de ascẽsu mentis ad Deum. At Thessalus Methodicus, fundi philosophici calamitas, hoc Arabis cuiusdam, non Aristotelis esse scribit, bella sua præfatione in scholas Metaphysicas. De quo in varia calamitate quam Aristotelis opera passa sunt, non tam admiror dissidentes multorum sententias, quam hoc tãdiu latere potuisse, quod erat lectione dignissimum. Nam pręterquam quod ex Strabone cõmemorari

poteſt huius ſcripta cũ à ſectatoribus ſub terra eſſent occulta, ne venirent in manus Attalicorũ regum, in Græcia primũ ipſa putredine magna ex parte fuiſſe eroſa, deinde cum Romam à Sylla trãſlata ſunt, iterum immutata, imo fortaſſe pleráque omnino aliena pro Ariſtoteleis eſſe ſuppoſita à nonnullis quæſtus ſtudioſis qui ea Ptolemæo Philadelpho, in Aegypto ſuam bibliothecam inſtruenti, ad háncque Ariſtotelica omnia ſtudioſe cõquirenti, magno pretio vendebant: illud etiam accedit quod in Arabia & Mauritania Ariſtoteles non niſi Arabice per multa ſecula loquutus eſt, de græco in eam linguam tranſlatus: deinde cum græca exemplaria periiſſent, de lingua Arabica partim græcis vtcúnque reſtitutus, partim noua latinitate donatus. Sic enim accidiſſe duobus libris de plantis qui ſub Ariſtotelis nomine nuper apparuerunt, Iulius Scaliger nõ ſine aliqua probabilitate cõmemorat. Et in libro de cauſis ſiue de proprietatibus elementorum, atque in aliis pleríſque qui inter opera Auerrois, Ariſtoteli quoque aſcripti ſunt, idẽ notari poteſt. Ac fortaſſe id ipſum etiam paſsi ſunt hi quatuordecim, olim inſcripti de Theologia ſiue de myſtica philoſophia ſecundum Aegyptios, ſi modo ea pro veris recipimus quæ de iis referuntur ab illis quorum diligentia iidem ad nos peruenerunt. Nam Franciſcus Roſeus Rauennas, in Epiſtola quam ſcripſit ad Leonem X. P. Max. teſtatur ſe cum Daſmaſci ageret celebrémque in ea vrbe bibliothecam eſſet ingreſſus, in libros hos incidiſſe, Arabicè quidẽ conſcriptos, ſed Ariſtoteli aſcriptos: qui de græcis in eam linguã conuerſi dicebantur ab Abenama Sarraceno quodam. Quos poſtea eiuſdẽ Roſei rogatu Moſes Rouas linguæ Arabicæ peritiſsimus quaſi raptim in ſermonem italicũ conuerterat: quia poteſtas non erat diutius & in liberiore ocio fruẽdi Arabico exemplari, quod magna cura in illa Damaſcena bibliotheca aſſeruabatur. Ex quo rurſum fere eodem tẽpore latinitate donati ſunt à Petro Nicolao Fauẽtino, qui liberiore quidem

ocio fruebatur, sed (bona omniũ venia dixerim) latini sermonis facultate nõ satis erat instructus. Quare sic ab hoc latini facti sunt, vt quãquam eius laboribus magna gratia habẽda sit, quod illos nobis perire noluerit: negari tamen non posiit in verbis & orationis compositione nihil esse eiusdem interpretatione insulsius. Itaque cum hos ante annos duodecim auidissimè percurrissem, diuinitatémq; sententiarum in eisdem valde essem admiratus, sed futurum ominarer vt ab hac delicatiorũ ingenia facile auerterentur verborum impuritate totóque interpretationis genere supra modum incompto & squalido, adhibẽdum nonnihil operæ existimaui, non quidem vt omnino contraria orationis suauitate splendescerẽt (quî enim possem hoc, vix ipse in loquendo purus & emendatus, presertim in ea re tractanda in qua permulta sunt latinis non satis vsitata?) sed vt sermo paulo tolerabilior, cũ sententiarum antea confusarum accuratiore distinctione, in qua potissimum elaboraui, redderet opus hoc nostris familiarius, quibus erat omnino incognitum, vel certè nõ satis commendatum pro dignitate rerũ quas in se continet. In quo quid assecutus sim is facilè iudicabit quî hæc nostra sedulo cõparabit cum eo exemplari quod sumus secuti. Tantũ rogabo, neglecto authoris nomine (nec enim de eo quicquam audeo statuere) vt omnes quos doctrina Platonica delectat, huiúsque cum Christiana religione comparationis fruantur, quibus nescio an quicquam sit in veteribus philosophis diuinius. Nec verò, Candide lector, si tua beneuolentia fauerit, in his primis & rudibus lineis, quæ nostris scholiis ductæ sunt, cõquiescam. Sed cum Alcinoum absoluero, recognita huius operis interpretatione & in sententiis accuratius comparata cum Platone, Plotino, & Iamblicho, atque etiam cum D. Dyonisio Areopagita, dabo operam vt tibi aliquando cumulatius satisfiat. Interea bene Vale.



DE SECRETIORE parte diuinæ ſapientiæ, ſe-


CVNDVM ÆGYPTIOS,

Ariſtotelis lib. 1.

INTERPRETE IACOBO CARPEN-
tario, Claromontano Bellouaco.

Inſtituti ratio in hoc opere proponitur, eáque in ſuas partes diſtribuitur, vt intelligatur quo modo hoc ad reliqua, quæ de Philoſophia variè ſcripta ſunt, ſe habeat.

Cap. I.



INEM primùm[1] *potiſsimúmq; quærimus, inquit Philoſophus, eundémque poſtremum aſſequimur. Atque omnia quæ orta ſunt, ſuapte natura certum finem appetunt. Siquidem conſtitutum eſt vno conſenſu eorum qui in diuinis ſapientiâ cæteris præſtant, vniuerſæ naturæ cauſas antecedentes & coniunctas eſſe quatuor: Materiam, Formam, Efficientem*[2] *& finem, reliquis nobiliorem. In híſque & harum affectionibus omnem contemplationem verſari oportet, pro cuiuſque rei propoſitæ dignitate.*[3] *Et nos quidem in Metaphyſicis, iam cum ſermonem abſoluimus, qui cauſarum*

eiusmodi explicationem continet, earúmque vsum expressimus in iis quæ de anima & natura sunt dicta. Vt in illis ratione perfecta eáque necessaria, intelligatur substantias nisi proposito aliquo fine, esse nullo modo posse. Nec verò sapientis studium diuturnum esse potest, nisi huius finem aliquem constituat. Ex quo initio posito, in vnaquaque scientia permultum quidem adiumenti homines capiunt: sed accedere necesse est diligentiam atque industriam, vt maiores progressus faciamus. Quare in hoc opere, in quo philosophiæ quasi summam facimus, primo loco instituti ratio proponenda. Ea autem ad vniuersi contemplationẽ pertinet, ex eorum sententia [4] qui omnia exposuerunt per notas & figuras adeò obscuras, vt nemo quantumuis ingenio acutus & diligens, ad ea quæ illis inuolucris tecta sunt, sine magno labore possit peruenire. Nos autem institutæ speculationis capita omnia proponamus: deinde singula explicabimus. Ac potissimum quidem hoc opere in contemplatione Dei versamur, quóque differat ab aliis quærimus. De quo hæc docere instituimus: potestate eius vniuersitatem naturæ tempúsque contineri: eundem causarum omnium authorem esse, atque singula pro cuiusque natura procreasse: intelligentias illustrare, per eásque medias, intellectum: per intellectum verò animam communem eandémque cælestem, cuius vi dirigitur natura eorum omnium quæ oriuntur & intereunt: omnia ab illo sine motu perfici, omniúmque rerum motus ab illo esse & ad illum referri. Siquidem omnia naturæ atque essentiæ appetitione ab eo, in eo, atque ad eum mouentur. [5] Secundò verò loco contemplabimur mundum intelligibilem, vt eũ

qui Dei bonitatem refert: in illóque existentes diuinas formas & ab eodem tanquam à fonte bonitatem in singula profluentem. Quoniam eo ipso quod sunt, cum illo similitudinem quãdam habent: sed propter ea quibus inuoluuntur, perfectè à nobis non possunt exprimi. Explicabimus etiam communem cæli naturam, quàm facultatem ab intellectu accipiat: & quæ syderum dignitas atque lux. Ex iis descendemus ad ea quæ Lunæ sunt subiecta, quæremúsque quo modo in hanc vniuersitatis partem, cæli virtus influat: quæ in rebus sub sensum cadentibus, materiatis, commutationi & interitui obnoxiis, manifesta apparet. Deinde describemus animorum qui rationis participes sunt, affectiones: cum in ipsa corpora descendunt, aut ex iis ascendunt: atque causam reddemus quæ earum cum corporibus vnionem continet. Dicemus quoque de ea animi parte quæ honoranda est & moribus intellectus exornata: nec in rerum fluentium cupiditates demersa: nec corporis sordibus infecta: itémque de altera quæ deformis & rebus variis contaminata. Exquiremus etiam affectionem animæ sentiẽtis atque alentis: qualisque ea sit quæ terræ, igni, cæterisque elementis inest. Quæ omnia, vt antea diximus, abdita explicabimus per figuras instituto accommodatas.

EIVSDEM CARPENTARII SCHOLIA.

1 Idem scribit Aristot initio Ethic. omnia bonum appetere: & lib. 3. deliberationem incipere à fine: actionem in finem desinere. Idcóque in eo opere & à fine incipit lib. 1. & in finem desinit lib. 10. Etsi in vtroque non eiusdem finis ratio habeatur. Hic autem cum philosophum absolutè dicit, sicut in sequentibus locis multis, per excellentiam Platonem intelligit. quem etiam nonnunquam sapientem nominat. Ex cuius Philebo & initio Politici, reperi possunt quæ ad hunc locum pertinent.

2 Ideo Aristot. conqueritur lib. 1. Metaphy. serò admodum à veteribus philosophis causam finalem esse cognitam: & contra eosdem disputat cap. 8. lib. 2. physic. & cap. 1. lib. 1. de partibus animalium, necessitatem in natura, non abso-

lutam materiæ attribuendam: sed ex relatione ad formam tanquam ad finem esse spectandam. Porro certum finem dixit, proprium cuique, nō communem vniuersæ naturæ. Quanquam & hic alius quidam est, cui ipsa proprietas cedit ad commoditatem vniuersi. Vt cum grauia, quæ naturæ suæ proprietate inferiora petunt, ad fugam inanitatis sursum feruntur: etiam si ab externa causa cogi non videantur.

3 Quo modo collecta sit hæc causarum diuisio, quoque ordine hæ species veteribus philosophis cognitæ, Aristot. docet lib. 1. Metaphys. Earum verò vsum in iis libris dicitur exprimere, in quibus generalem causarum tractationē certis rebus natura constantibus accommodat. Quoniam in iis magis elucet. Quò fit vt naturæ contemplatio rudibus eò iucundior sit, quò magis à generalibus ad specialia descendit. Sapientibus verò contra.

4 Significat AEgyptiorum hieroglyphica, de quibus amplius agit cap. 14. lib. 14. Hæc secuti Pythagoras & Plato, vt Cicero ait Tuscul. 1. rationē suæ sententiæ non afferebāt, nisi quid erat numeris aut figuris designatum. Indéque originē habuit prouerbium de obscuritate numerorum Platonicorum. De iis vide plura apud Iamblichum initio lib. de mysteriis Aegyptiorum.

5 Eadem est de duplici mundo Platonis sententia in Timæo. Quam ille hausisse videtur ex consuetudine loquendi sacræ scripturæ familiari, de mundo altero animis beatorum præparato. In quo Platonem deceptum minus mirabitur, qui in eodem haud dissimilem Origenis errorem animaduerterit cap. 3. lib. 2. & cap. 5. lib. 3. de principiis. De quo amplius differetur in sequentibus, lib. 10.

Quomodo anima quæ suapte natura interitus expers, ad superiorem mundum pertinet, in hunc inferiorem descēderit, & cum caduco corpore coniuncta sit.

Cap. 2.

1 *Cùm ex veterum libris manifestum sit & iam probatum animum corpus non esse nec interire, sed permanere:*
2 *nunc quæramus quo modo is ab intelligibili mundo in hunc sensibilem descenderit, & cum eo corpore coniunctus sit, quod suapte natura est dissolubile. Etenim nulla substantia quæ omnino soláque intelligentia continetur, motū subire potest: sed ea in priore mundo fixa, ab illo nunquam diuellitur, nec vsquam mouetur: cum nullū locum habeat ad quem deferri possit. Hoc verò sic explicamus. Omnis substantia intelligibilis quæ secundo est gradu, suapte natura aliud quiddam appetit. Intellectus autem cū aliquid*

appetendo concepit, ad illud mouetur: ſicut grauida mulier parere nititur. Ille itaque cum aliquid appetendo conceperit, hoc conſequi conabitur. [3] *At intellectus inferiorẽ conditionem appetens, in animum tranſit. Quare hic non eſt alius ab intellectu appetẽte, appetitione communi. Nec verò communis animus ab intelligibili mundo ſecundum ſubſtantiã ſeparatur: ſed ſingula appetens, ſub opere vniuerſo, ab illo recedit. Atque illa quoad poteſt in ordinem reuocans, peccatum quod accidit, temperat ex lege cæleſtis cauſæ propinquæ. Animus qui ſingulis accommodatus, in corpore non eſt ſicut videtur, ſed externus. Prius igitur ille mouetur ad mundum primum, deinde ad ſecundum: tertiò ad primum reuertitur. Ac ad eorum vnumquemque opportunè & ſuo tempore.*

SCHOLIA.

1 Nunc pro rato hoc ponitur, quod poſtea variis rationibus confirmabitur lib.3. Id verò nõ tantum in eos valet qui animum corpus aliquod eſſe voluerunt vt ſanguinem, vel ignem, vel ſpiritum, vel aquam: ſed etiam in ipſum Galenum alióſque permultos Galeno antiquiores, qui animũ eſſe dixerunt corporis quandam qualitatem, vel eorum ex quibus illud componitur temperationem & quaſi harmoniam. Quod apud Platonem Socrates reprehendit in Phædone.

2 Si opus hoc Ariſtotelis eſſe cõſtaret, ex eo facilè explicaretur quod in illo interpretes deſiderant: qualem ſcilicet animorum conditionem exiſtimauerit, prius quàm cum corporibus coniungantur. De quo ea quæ hoc loco & ſequẽtibus multis traduntur, cum Platonica doctrina omni ex parte conueniunt. Sed ſi hanc Ariſtotelis ſententiã eſſe concedimus, meritò quæretur quo modo hæc conſentiat cum eo quod ſcribit cap.4. lib.3. de Animo, intellectum humanum quando primum cum corpore coniungitur, ſimilem eſſe tabulæ nudæ, in qua nihil adhuc omnino depictũ eſt: aut cũ cap.3. lib.12. Metaph. in quo fateri videtur eundem ex iis eſſe quæ incipiunt: neque tamen vnquam fortaſſe deſinunt. De quo copioſius à nobis diſputatur commentario in Alcinoi inſtitutionem ad doctrinam Platonis.

3 Cum iis coniũctiſsima ſunt quæ ſcribit Origenes cap.8. lib.2. de principiis, vbi commemoratis pluribus ſacræ ſcripturæ locis ita concludit, Ex iis omnibus videtur effici mentem de ſtatu ſuo ac dignitate declinantem, effectam vel nuncupatam eſſe animam. Quæ ſi reparata fuerit & correcta, redit in hoc vt ſit mens. Quod ſi ita eſt, inquit, deceſſus ipſe mẽtis ac deuolutio videtur mihi

quod non æqualis omnium ſentiendus ſit: ſed vel plus vel minus in animam verti: &aliquas quidem mentes ſeruare aliquid etiam prioris vigoris, aliquas verò aut nihil, aut exiguum aliquid. Vnde inueniuntur quidam ſtatim ab ineunte ætate ardentioris acuminis, alii verò tardioris: nonnulli autem obtuſiſſimi, & penitus indociles naſci.

Animum etiam in belluis, atque plantis nō interire: ſed à corpore ſeparatum ad ſuperiorem mundum reuerti: in eóque quo differat humanus à reliquis.

Cap. 3.

Intellectus agens nunquam ab animo ſeparatur: ſed cum hoc in omnibus pro oblata occaſione operatur. Itaque animus in perpetua functione eſt quia ſemper eſt:[1] *& quāquam qui aliis animalibus inſunt, vt Leoni, peccando receſſerint à mundo ſuperiore: non tamen ſua ſubſtantia intereunt, ſed in affectionibus tantum.*[2] *Atque idcirco non omnino intereunt, ſed ad ſuperiorem mūdum reuertuntur. Affectiones enim in inferiore mundo ab animo diuerſæ ſunt: ſed ad animalis naturam accommodatæ. Si quidem ex hac proficiſcūtur. Eadémque ratione plantarum etiam animi ab vno principio ducunt originem: cum in vita cōueniant ſubſtantiæque ſint, non affectiones atque corporis expertes, non partibiles, ideóque interitui minime obnoxij.*[3] *Animus autem humanus tres partes habet, alentem, ſentientem & intelligentem: quæ diſſoluto corpore ſeparatur. Atque hic peccatum fugiendo, à corporis contagione liber, magnam habet diſsimilitudinē cum altero qui in materiam eſt demerſus: & iis affectionibus de corpore enatis, velut vinculis detinetur: ne ad ſuperiorem mundum poſsit aſcendere. Ad quem niſi per multas difficultates, nō poteſt peruenire: ſed extinctis harum affectionū viribus, ille corporis ſordibus repurgatus, tandem reuertitur omnis interi-*

tus expers. Non enim res aliter habet, sicut plerique à sciẽtia verè diuina alieni opinantur. Si quidem hic à suis authoribus conseruatur, quanquam separatus: estque verum quiddam atque perfectum. Quare vt sæpe iam dictum est, is non interit.

SCHOLIA.

1 De immortalitate animi eius qui belluis inest, vetus etiam est quorundam Platonicorum opinio: quam confirmat Porphirius lib. 3. de abstinentia ab animalibus. Et certe talem eum ponant est necesse: si nudè & absoluè intelligant quod ex Pythagoreis dicunt, animum cum ex homine excesserit, si in illo contaminatus sit, ad purgationem, alicuius belluæ corpus ingredi. Sic enim erit necesse animum reipsa vnum & eũdẽ modo homini, modo belluæ vitam dare. De quo amplius à nobis disputatur commentario in Alcinoi Institutionem ad doctrinam Platonis.

2 An num hoc ex Aegyptiorum mysteriis dictum, nec satis intellectum, referri debuit ad id quod sacræ literæ commemorant de peccato primorum Angelorum, propter quod à Cælo sunt deiecti? Nam quod subiicit animum eiusmodi corpus Leonis ingressum, ad superiorem mundum aliquando reuersurum Origenes de illis Angelis suspicatus est. Vt intelligi potest ex cap. 6. lib. 1. de principiis.

3 Apertè hoc loco significare videtur quod pluribus disputauimus lib. 4. nostræ prioris descriptionis Physicę, animi in nobis triplici facultate prędiri, substantiam esse vnam & eandem. Sed quia priorum duarum facultatum alendi & sentiendi actiones necessario cum corpore communicãt, tertiæ verò minime: idcirco hanc solam manere in eo à corpore separato: illas cum corpore interire. Ex quo accidit vt hæc ab illis differre dicatur vt immortale à mortali: etiam si in Arist. doctrina constent fortasse eadem substantia: sed quæ non in omnibus suarum facultatum actionibus, ad corpus eodem modo est affecta. Quanquam animaduertam aliud placere nonnullis, ad suæ opinionis confirmationem abutentibus loco Arist. cap. 3. lib. 2. de animalium ortu.

Ad confirmandam animi humani immortalitatem, rationes populares repetit ex authoritate & opinionibus communi hominum consensu probatis. De eoque Platonis sententiam cõmemorat.

Cap. 4.

1 *Rationes vero probabiles apud eos qui illis tantum cõmouentur, repetentes breuiter percurramus: atque id pro principio ponamus in quo veterum, recentiorum, Theologorum, philosophorum, vatum ac populorum summa fuit*

consensio, animum scilicet corporis illecebris captũ, in Dei odium statim incurrere: atque idcirco peccata esse fugiẽda, & illas corporis illecebras tollẽdas: sic enim Deum nobis futurum propitium. Neque verò si maiores de animi immortalitate dubitassent, ad eam confirmandã dictante natura legem posuissent: cui nemo aduersatur, nisi qui vitiis detinetur. Hoc etiam illi addiderunt multorum hominum votis fauisse animos à corporibus separatos & ad alium mundum reuersos. Quod veritatem exquirenti ex iis manifestum esse potest, quæ diuinitus nobis apparent & ex templis quæ propter hæc sunt illis extructa. Animus igitur ex hac vita excedens, & ad alium mundum delatus, omnino non interit: quoniam propter vitæ præstãtiam, æternitatis est particeps. De quo eadem fuit Platonis sententia cum de animo communi ita loquitur. [2] Ego sæpius animo contemplans, relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili. Quare hæsi quodammodo attonitus, agnoscens me esse partem quandam superioris mundi, atque adeptum sentiens vitæ immortalitatem, sub luce maxima: quæ neque oratione exprimi potest, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi. Tãdem verò hac contemplatione defessus intellectus, recidit in phantasiam, túmque illa luce deficiente, factus sum tristior. Rursus relicto corpore, eo reuersus deprehendi animũ luce abundantem, hincque tum in corpus influentem, tum supra hoc excitatum. Hæc igitur Plato. Qui ad supremum mundum aspirãs intellexerit substantias diuinas causásque vniuersas, profecto summum præmium consequetur. Quare nemini hoc negligendũ est, etiam si in eo maximus

labor

labor ſubeundus. Siquidem in illo fruetur animus tranquillitate perpetua, eáque quæ nulla ratione poteſt interturbari. Atque cum homo ad hanc cõtemplationem natus ſit, nihil agit ſi vel minimo tempore ab illa receſſerit: immo animum perdit, ſibiq́ue maxime contrarius efficitur. Ex quo futurum eſt vt in obitu eum vitæ anteactæ fruſtra pœniteat. Quo præcepto Plato hominem adhortatur ad erigendum intellectum in ſuperiorum contemplationem: ad quam ipſe facultatem iam erat conſecutus. [3] *Quod Anticles quoque ſignificauit, cum animum in ſuperiore mundo honorandum ante corpus extitiſſe dixit: eundem verò poſt peccatum, in inferiorem mundum decidiſſe, in quo ſuo pudore ac verecundia à Deo veniam poſtea conſequatur. Deſcendit etiam hic vt aliorum animos, in quibus intellectus perturbatur, ſurſum reuocet.* [4] *Eſt enim animus qui potuit emergere, ſimilis homini qui pene extinctus recreari cœpit, & quantum poteſt apud homines voce contendit, præcipiens vt mundum omniáque in eo malorũ irritamenta fugiant: ſimul etiam indicans qua via ad ſuperioris vitæ delicias poßint reuerti.*

SCHOLIA.

1 Hoc communi conſenſu Ariſtoteles in philoſophando vti ſolet ad ea pro ratis ponenda, quæ ratione confirmare longum eſſet aut difficile. Sic cap. 4. lib. 1. phyſic. vſurpat, Omnes quaſi ab ipſa veritate coactos, contraria principia poſuiſſe. Idémque lib. 2. de Cælo & 10. Ethic. ſcribit conſenſum omnium hominum quaſi naturæ vocem quandam eſſe. Cicero. 1. Tuſcul. conſenſionem hanc appellat naturæ legem & ex eadem confirmat Deos eſſe. 1. de legibus, itémque lib. 2. de natura deorum, Plato etiam in Timæo & Politico ſcribit veteres quo minus aberant ab ortu diuináque progenie, eo melius veritatem in rebus omnibus perſpexiſſe.

2 Tale quiddam eſt initio Pimandri de Mercurio Triſmegiſto. Qui in contemplatione naturæ, ſopitis iam corporis ſenſibus, á diuina mente raptum ſe ait, & in iis quæ inquirebat ab eadẽ inſtitutum. Familiare verò genus hoc docendi philoſophis in iis rebus quas non poſſunt rationibus naturalibus ſatis

ponderis habentibus, confirmare. Sic rapitur extra se apud Ciceronem in Somnio, Scipio Aphricanus minor, & consimili commẽto de præmiis in altera vita propositis Rerumpub. gubernatoribus, differitur apud Platonem lib. 10. de Repub. Simile quid etiam de se commemorat Plotinus initio lib. de descensu animi in corpus. De quo idem testatur Porphirius in huius vita.

3 Sententia quam Anticli hoc loco & capite proximo attribuit, familiaris est Socrati apud Platonem. & quod de sene dicitur cap. 6. libri huius, id de Socrate Plato scribit in Phædone. Vt ex horum locorum comparatione mihi sit probabile Socratem nescio qua ratione Anticlem nominari.

4 Sic apud Virgilium AEneid. 6.

Infœlix Theseus, Phlegiásque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras:
Discite iustitiam moniti & non temnere diuos.

Cur communis animus è superiore mundo in hunc inferiorem descenderit: quibúsque de causis cum corpore sit cõiunctus. Eadem verò questio pluribus tractatur cap. 1. lib. 7.

Cap. 5.

1 *De animo communi quærendum est cur in hoc corpus descenderit, an vt sua sponte pareret: an verò ab aliqua potentiore causa coactus. Siquidem animi cognitio potius quàm vllius alterius rei, adiumentum nobis est allatura. Præsertim cum ab hoc ad intellectũ progredi facile sit, vt tandem in Dei summi contemplationem erigamur. Atque etiam ex iis simul intelligemus an Deus omnia rectè procreauerit & per scientiam partibus omnibus absolutam: an verò per aliud cognitionis genus. Plato igitur olim plura animo attribuit* 2 *quæ nos ex eius viua voce excepimus: sed ea non sunt ab illo literarum monumentis mandata: ex quibus alioqui facilè lector huius mentem deprehẽdisset. Eiusmodi autem attributa diuersa sunt. Quoniã intellectus cum sensu coniungitur* 3 *nec in omnibus hunc despicit, sed coniunctionem cum corpore: à quo ligatus penéque extinctus detinetur. Animus enim in hoc, vt in loco est: sicut etiam Anticles arbitratur: sed amplius hoc addit,*

corpus illius esse carcerem. Ex quo à Platone etiam dictũ est animum corpore solutum ascendere atque illustrari: eundem descendentem obscurari, sed postea purgatum rursum ascendere. Huius autem descensus causæ sunt permultæ. Quarum prima in peccato est, vt scilicet pro eo pænas det nonnihilque promereatur, atque Dei leges subeat. Alij ob aliam causam descendunt: quam ille non commemorat. Sed colligens, animi descensum execratur: additque quoniam mundus hic substantiæ suæ præstantiam quandam habet & excellentiam: [4] *in eo animum extare oportere: deuincto intellectu, quemadmodum in superiore mundo idem sempiternus habetur. Non enim rationi consentaneum vt mundus hic latißimè patens & perfectè conformatus, intellectus sit expers.* [5] *Neque verò huius particeps esse potuit, nisi in eodem animus antecederet. Quare summus opifex animum cum illo coniunxit, & cum ea animi parte cuius est ratio, species permiscuit.* [6] *Siquidem animi partes sine quadam dissensione inter se minime esse videntur. De quibus in plantis paucæ sunt, in belluis plures, in homine plurimæ. Vt istæ mundus suam perfectionem habeat: quamquam ei quæ in superiore est, minime parem. Quia ab illo conformatus est omnisque interitus originem continet. Quare mundo in sensum cadenti inesse oportet ea etiam animalium genera, quæ intelligibili insunt.*

SCHOLIA.

1 Hæc quęstio apud Platonicos est nobilis, de qua multa ex veteribus cõmemorat Plotinus cap. 1. lib. de descensu animi in corpora. Quam verò vtilitatem afferat animi cognitio, quoque modo nos in omnibus philosophiæ partibus adiuuet, dictũ est abunde cap. 1. lib. 4 prioris nostræ descriptionis physicæ.

2 Hoc modo veteres omnes in philosophia quædam habuerunt abdita quæ asiduorum auditorum propria esse volebant, nefas vero esse arbitrabantur cum externis communicare. Indéque profecta apud Arist. operum distinctio

in acroamatica & exoterica. Quę à nobis exposita est in disputatione de ordine partium physiologiæ. Talia verò permulta ex Platone citat Arist. quæ ab illo audiuerat: nec tamen in dialogis scriptis extant. Quod etiam illius interpretes in physicis obseruare solent.

3 Non despici ab Intellectu ipsum sensum eodem modo quo & corpus, ex eo poterit intelligi quod docebitur libro vltimo, etiam intellectui qui in superiore mundo versatur, sensum quendam inesse: sed longe puriorem quàm in corpore. Ergo intellectus non quemuis sensum despicit, sed impuriorem tantum, & cum corpore necessitate quadam communicantem: qualem animo vt naturali formæ in physiologia attribuit, at in contemplando semper, vt poeta ait,

> -Noxia corpora tardant
> Terrenique hebetant artus moribundáque membra.
> Hinc metuunt cupiuntque, dolent, gaudéntque: nec auras
> Respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco.

4 Platonici naturam intelligentiæ participem voluerunt esse aliquam in quacunque vniuersitatis parte. In cælestibus quidem orbibus intelligentias illis præfectas, quas etiam Arist. agnoscit Metaph. 12. In elemẽtis, dæmones distinctos pro dignitate elementorum in quibus versantur. Quare in terra, homini, cuius gratia inferiorem mundum extitisse arbitrabantur, intellectum datum esse dixerunt: vt in hac sit quidam Deus qui cælestia intueatur, eáque imitetur vitæ modo atque constantia. Quam sententiam Stoici postea secuti sunt, vt Cicero docet lib. 2. de natura Deorum.

5 Natura enim vel naturæ opifex Deus, vt docet Plato in Timæo, vincire solet extrema per media. Itaque vt coniungit animam in corpore per medium spiritum: sic intellectum per intermedium animum. Nam vt cõmemorat Marsilius Ficinus ex Porph. lib. de causis ducẽtibus ad intelligibilia, animus mediũ quiddam est inter essentiam indiuiduam & eam quæ circa corpora diuidua est. Intellectus autem essentia indiuidua solum, & qualitates materiales formæ, secundum corpora sunt diuiduæ.

6 Ideóque Plato in Timæo non vult omnium partium animi eundem esse proximum opificem, sed eius quæ ratiocinatur & intelligit authorem facit Deum patrem: reliquarum verò quæ corpori addictæ sunt, minores Deos. Vide quæ de ea re à nobis obseruata sunt commentario in Alcinoi institutionẽ ad Platonis doctrinam.

Veteres reprehendit, quòd in naturalibus explicandis, nimium materiæ atque sensibus tribuerent. deinde docet quis naturæ, animi & intellectus ordo sit: quoque modo hæc omnia ad deũ referantur.

Cap. 6.

Rursus animi affectiones contemplemur, vt ex philosophô aliquid vtilitatis referamus. [1] *Veteres de eo inter se varie disputarũt, an animo cum corpore quædam essent communia: nec eandem sententiam sunt secuti. Incipiamus ve-*

ro ab opinione [2] senis, cuius proximè mentionem fecimus. Hic animaduertit veteres Physicos in cognitione rerũ sensus mouentium, aberrasse: quòd earum cognitionem ex iis quæ inferiore mundo continentur, inquirerent, nec arbitrarentur illis inesse quædam occulta: [3] quódque neglectis aliis quæ ad intellectũ pertinẽt, sensibus omnino essent addicti, iísque adiuti, ex commutabilibus perpetua contemplarentur. In quo cũ illos sensui nimium tribuentes, à veritate aberrare videret, misertus, eos in rectam viam reduxit, intellectúmque à sensu distinxit, & ea quæ intellectui obiecta sunt, à sensilibus. Quòd illa perpetua omnísque mutationis expertia inueniri diceret: hæc autem mutabilia & interitui obnoxia. Horum verò omnium principium vnicum, id quod primũ est & verum, Deum scilicet vtriusque mundi opificem. Addit etiam eiusmodi primũ agens summè bonum esse, aliúdque ab eo nihil esse quod ex se bonum sit: sed quæcunque bona sunt, ab illo talia existere. Affirmauit quoque mundum hunc ex materia & forma cõstare, atque quod materiam secũdum rationem essentiæ informat, id quoque illa esse nobilius. Itémq; ab illa animi parte in qua rationis est principium, primam materiam informari: propter vim quandam ab admirando intellectu influentem: animum quoque ab intellectu agente ad formandam primam materiam, adiuuari virtute entis quod omnium primum est. Quod idem horum trium principium existit intellectus scilicet, animi atquæ naturæ. Ex quibus extiterunt res pulchræ in sensum cadentes, vi agentis primi: intermediis verò animo & intellectu. Aptè etiam ens verum, primum, Deus summus simplex & omnium

perfectißimus, intellectui primo dat vitam: deinde animo, postremo naturæ: intellectúmque sicut & animum atque naturam constituit rerum aliarum principia.

SCHOLIA.

1 Hanc communionem animi cum corpore Arist. explicat initio Physiognomiæ. Quoniam in illa eius artis quam instituit fundamentum est & cap. 3. lib. 1. de animo, veteres reprehendit quod de animo tantum agerent: corporis autem, quod illius est domicilium, nullam rationem haberent. In eoque dánat Pythagoreorum sententiam de noua coniunctione animi humani cum corpore belluæ: perindéque id esse ait, ac si quis affirmet artem fabri ingredi in tibias. Vt enim ars, inquit, instrumentis, sic animus corpore vti debet.

2 Eum intelligit quem Anticlem antea nominauit. Socratem verò vt dictũ est, significare videtur. Si quidem hoc ille apud Platonem in Phædone, reprehendit in physicis & maximè in Anaxagora, quod rerum naturalium explicationem ferè à solius materiæ qualitatibus repeterent. Peccatum idem in illis notasse videtur Arist. cap. 1. lib. 1. de partibus animalium.

3 Hoc pertinet ad distinctionem idearum & rerum singularum ideis participãtium, quæ eodem loco explicatur à Socrate, sicut & in Timæo. Quod verò Deum idearum principium vel ideam idearum omnium esse dicit, intelligetur amplius ex sequentibus, & ex iis quæ à nobis dicta sunt commentario in Alcinoi institutionem ad doctrinam Platonis.

Omnia sic à Deo esse facta vt quanquam ad eorum explicationem tempus adhibeamus, in tempore tamen non sint procreata.

Cap. 7.

1 *Qui vero in iis philosophi verba audiunt, minime existimare debẽt omnia in tempore à Deo esse procreata: quasi nihil altero prius esse poßit, nisi tempore. Cum tamen necesse sit id quod efficit, prius esse eo quod efficitur. Neque vero illud ita est. Siquidem intellectus sicut & sensus, res sine tempore discernit. Sed in eo veterum in loquendo consuetudinem Plato sequẽdam putauit. Qui cum rerum procreationem describunt, tempus coguntur inducere: cum tamen eius reuera nullum tempus sit. Differt enim agens pri-*

mum, altißimum, res innouans, à secũdo inferiore & umbratili. Quare si quis intelligere vult, an quod patitur, in tempore patiatur: prius inquirat an quod agit, in tempore agat. Patiens enim ab eo quod in tempore agit, in tempore quoque patitur. Patiens verò ab altero quod in temporis quasi puncto actionem perficit, etiam in puncto patitur.

SCHOLIA.

1 Arist. lib. 4. physic. vult sola caduca propriè in tempore esse, illáque ab eodem aliquid accipere & pati. Quoniam eius diuturnitate senescunt & consumuntur. Atque Plato in Timæo, æterna sua æternitate contineri, æternitatémque sui similem semper manere: Aeternitatis verò imaginem, in rerũ caducarum tempore quodammodo apparere. Quod verò hoc loco dicitur quædam esse natura priora quæ tempore diuisa non sunt ab iis quibus priora sunt, in aliis quidem rebus permultis intelligi potest, sed maxime in sole eiúsque lumine. Quanquã enim Solis substantia nullo interiecto tempore lumen antecedat: est tamen ipso lumine natura prior: quia eiusdem est causa.




DE SECRETIORE parte diuinæ ſapientiæ, ſe- CVNDVM ÆGYPTIOS,

Ariſtotelis lib. 2.

INTERPRETE IACOBO CARPENTARIO, Claromontano Bellouaco.

Animum in mundo altero liberrima contemplatione frui: neque hac vnquam ſatiari: nec præteritorum memoria indigere.

CAP. I.



NIMVS cum eſt in ſuperiore mundo, intuetur naturam rerum quæ in eo ſunt, neque in ratiocinando eum modum adhibet quem in hoc inferiore. Immo neque hæc infima contemplatur, quoniã altiora perſpicit. [1] *Vt enim cum eſt in inferiore mundo purior, propter naturæ præſtantiam, ſe ad hæc terrena non demittit: ſic iuſtiore cauſa hoc mundo ſolutus & ad nobiliorem reuerſus,* [2] *non meminit præteritorum. Sed altiora ſemper contemplans & amans, nunquam ſatiatur: omnémque actionem & cognitionem ad illa refert. Quare cũ illi in ſuperiore mundo rerum omnium ſcientia conſtantiſsima inſit, habeátque ſemper in promptu ea circa quæ verſatur, illorum nulla memoria indiget. Atque etiam cum alienus ſit ab omni ſcientia quæ ex iis inferioribus eſt percepta (nõ enim horum priſtinam comprehenſionem ſeruauit, neque amplius ea quæ eiuſmodi ſunt vult intueri: ſed rei cõmu-*

tabilis

tabilis ſcientia, in naturam commutabilem cadit: qualis in mundo intelligibili omnino nulla eſt) non poteſt eius quod ignobile eſt vllam memoriam ſeruare. Itaque contẽplatur ſicut diximus, modóque pro ſua facultate, omnium perfectiſſimo.

SCHOLIA.

1 Vis loci huius poſita eſt in comparatione. Si enim animus philoſophi mortem meditantis, vt Plato ait in Phedone, cum adhuc eſt in corpore, ad ea quæ caduca ſunt non ſe demittit, ſed ad cæleſtia diuináque erigit: quanto magis id faciet cum omnino è corpore excesſerit? Quo verò modo cum animus adhuc eſt in inferiore mundo, ad ſuperiora debeat aſpirare, docet Proclus lib. de animo & dæmone. Oportet, inquit, animum hinc ad naturam illam peruigilem recta ducendum, amputare ſecundas tertiáſque vires deſcendenti ſubortas, ſicut marino glauco, herbæ, Petræ, conchæ. Cohibere verò impetus extra ferentes. Reminiſci rurſum rerum ſeparatarum eſſentiæque diuinæ, vnde facta eſt deſcenſio & ad quam omnem vitam contendere decet.

2 Ad hanc ſententiam pertinet quod ſcribit Ariſt. cap. 5. lib. 3. de Animo, intellectum agentem à corpore ſeparatum, neque amare, neque recordari. Qui locus in quæſtione de eius intellectus natura & ſeparatione à corpore, cum apud peripateticos ſit obſcurus & valde controuerſus, iis poterit illuſtrari quę hoc capite & ſequentibus multis dicuntur. De quo vide quæ à nobis obſeruata ſunt in ſcholiis ad diſputationem de animi immortalitate, quam Latinam fecimus.

Animum in ſuperiore mundo aliter quàm in hoc corpore intelligere: eúmque in iis quæ intelliguntur ordinem quidem notare, ſed nullum tempus interponere quo illa diſtinguantur.

Cap. 2.

Hoc etiam conſtituimus ſcientiam omnem in ſuperiore mundo, perpetuam eſſe. Quoniam nihil in illo, tempore circumſcriptum eſt. Ideóque animus in eo formas ſine tempore contemplatur. Siquidem illas euidentes ſemper habet, tum ſupremas, tum infimas. Nec verò is ab vno ad aliud progreditur: aut in diſcernendo à generibus ad ſpecies rés ve ſingulas deſcendit: nec à formis ad genera aut ad magis vniuerſa aſcendit. Quare neque etiam earum recordatione indiget. In quo ſi quis eo commoueatur, quod hæc conditio

ſolius intellectus ſit, cui omnia ſimul re ipſa inſunt, quiq́ue idcirco recordatione non eget: animus autem aliter ſe habere videatur, quia ſcilicet huic plura ſimul reipſa non inſunt, quemadmodum neque materiæ primæ, ſed ſuapte natura vnum ex alio conſecutione quadam comprehendere videatur: hiſque poſitis hunc recordatione indigere arbitretur, ſiue in inferiore mundo ſiue in ſuperiore verſetur: hoc illi reſpondebimus, animum in mundo ſuperiore poſſe ſimul plura cognoſcere. [1] *Quoniam aliud quiddam eſt quod cum ſimplex ſit eodem actu multa cognoſcit: vt aſpectus, colores multos. Quare & animus ſimul plura cognoſcet, eáque ſine tempore: quia tempore ſuperior, vt pote qui illius eſt cauſa. At rurſum, inquiet aliquis, animus primùm ab vltimo diſcernit, eóque vnũ ab alio videtur diſtinguere: nec omnia ſimul cognoſcere. Equidem dicimus animum* [2] *non cogitatione ſed intellectu diſcernere, atque idcirco nullam intercedere diſtinctionem, ſed maximam vnionem ſubire. Præſertim cum ipſe intellectus res ſine tempore diſcernat: Nec, quia ſuapte natura ſimplex eſt, in ſe quicquã habeat in quo vnum prius ſit, alterum poſterius. Quoniam rebus in illo fluentibus nullum medium intercedit: ſed principium cum fine connectitur. Si quis verò etiam amplius vrgeret atque contenderet manifeſtum eſſe animum in rebus diſcernendis principij, finis medijq́ue cognitionem habere: id quidem admittimus, ſed ita tamen vt in illis ordinem quendam ineſſe fateamur: temporis verò diuiſionem minimè. Quod manifeſtum eſt in oculo arborem intuente. Nam in ea radices & ramos ſimul videt, & tamen prius radices quàm ramos: non quidem tempore, ſed ordine. Si*

verò oculus res ita cognoſcit, quanto verius de intellectu dici poteſt, hunc principium finem & medium ordine quidem, ſed tamen ſine tempore cognoſcere?

SCHOLIA.

1 De eo ſentiendi principio acutè diſputat Ariſt. ſub finem libri de Senſu: Verum fieri poſsit vt ſimul diuerſa ſentiat eáque etiam inter ſe contraria: cum tale effici videatur quale eſt id quod re ipſa ſentitur. Vide quæ in eandem ſententiam dicuntur à Priſciano Lydo cap. 6. comment. in libr. Theophraſti de anima.

2 Cogitationi tribuit eam cognitionem quæ paratur ratione ab vno ante cognito ad incognitum progrediente. De qua Ariſt. cap. 1. lib. 1. Analyt. poſt. Quo verò illa differat à primorum intelligentia, ex Platonicorum ſentētia docetur Comment. in Alcinoi inſtitutionem ad Platonis doctrinam.

Animum ſubſtantia ſimplicem, facultate eſſe multiplicem: harum verò facultatum diſtinctionem in corporibus apparere: atque intellectum ſecundum ſuam eſſentiam ſemper intelligere, ſed in vniuerſis, quæ æterna ſunt, non in ſingulis verſari.

Cap. 3.

Atque ſi eo poſito, quod animus ſimul cognoſcat ſimplicia & compoſita, aliquis inquirat quo modo hic facultatibus diſtinguatur, quarū vna prior ſit, altera poſterior: fatebimur illum vnicum eſſe & ſimplicem, ſed preter ſubſtantiam, facultatibus multiplicem: & quanquam ſimul multa agere videatur, functiones tamen eſſe diſtinctas, pro ratione patientium. [1] *Si quidem non in omnia corpora ex æquo cadunt, ſed pro cuiuſque conditione. Ergo functionū varietas rebus ipſis ineſt, non animo. Itaque hoc ſtatuimus intellectum vnum multa operari:* [2] *atque inſtar materiæ primæ, rei cognitæ ſpecie informari.* [3] *Qui in actum ſuum excitatus rei intellectæ ſimilis eſt, hoc ſolo differens, quod communis eſt. Eum verò in actum excitari dico, qui propoſitum aliquid habet in cuius ſpeculatione verſetur. At in*

potestate adhuc esse dicitur, cum suæ contemplationi nihil reipsa subiectum habet. Porro si quis etiam contenderet intellectum nunquam quicquam sibi habere obiectum: huius opinionis error ex eo deprehẽdi potest, quod intellectus suaptè natura semper intelligit. Si quidem eius essentia in functione est. Si verò semper intelligit: perpetuum quoque aliquod obiectum habeat est necesse. Quare intellectus est omnia, sub ratione communi, secundum quam intelligit, & qualẽ, vt sæpe diximus, suapte natura obtinet. 4 *Sic verò suam substantiam intuens, alia intuetur. Atque ita substãtiam, quæ inferiora omnia continet, eandem habet cum eo quod est contemplationi propositum. Id verò est quod à sapiente dictum, Deum summũ, authorem esse intellectus eius qui in se ipso omnia quæ ab vno principio profecta sunt & ad idem reuersura, cognoscit: in aliis verò conniuere videtur.* 5 *Id est, qui seruat formas vniuersas, singulas pretermittit. Non enim singulis sublatis vniuersum tollitur: quemadmodum neque sublatis singulis animalibus, animal tollitur: at sublato vniuerso, omnia singula tolli est necesse.*

SCHOLIA.

1 Hoc modo facultates siue partes animi principes, re & subiecto distinctæ apud Arist. dici possunt: prout faciunt distincta rerum animatarum genera. At cùm eidem animali plures insunt, in eo reipsa & substantia vniri cõtra Platonem dicuntur. Ita tamen vt in eiusmodi facultatibus ordo quidam sit secundum quem aliæ in aliis contineri dicantur: vt per similitudinem à numeris & figuris ductam Arist. explicat lib. 2. de Animo.

2 Intellectus qui rationem habet materiæ, possibilis dicitur. Quem Arist. cap. 4. lib. 3. de Animo. similem esse ait tabulæ in qua nihil reipsa depictum est. Id verò ita interpretatur Priscianus Lydus cap. 18. comment. in lib. Theophrasti de phantasia & intellectu, vt vacuitatem vel priuationem in eo admittamus quatenus est intellectui consentaneum. Habenti videlicet species secundum essentiam perfectásque possidenti: sed ita prorsus vt à primo intellectu sit perfectus actuque conscriptus. Ipsum nàmque indiuiduum, inquit, & vnitum perfectionis, hic habet inde, & intellectus hic qui dicitur in potentia esse, est intel-

lectualia secundum potentiam: vtpote qui secundum quandam gradus submissionem, & cum quadam alteritate siue diuersitate hæc habeat. Sed interim excitatus à semetipso ad indiuiduam perfectionem ab intellectu primo suscipiendam. Tale enim est intellectuale quando dicitur in potentia esse. Sed actu nihil à natura quam intelligat. id. est nō indiuiduè nec vnitè intelligibilia est. prius quam à primo perficiatur.

3 Intellectus cum re ipsa intelligit talis efficitur qualis ea res quam intelligit: longè tamen aliter quam ipse sensus. Qui re ipsa sentiendo, tantum quodam modo similis efficitur rei externæ quam sentit., per imaginē scilicet quam in se recipit. At intellectus vt idem Priscianus ait cap.17.lib.eiusdem, vere est res ipsa quæ intelligitur. Non secundum participationem, non diuisim, non vt alius, non vt ab eà determinatus vel indè perfectus: immò vt res ipsa existens: & vt terminus omnium atque perfectio. De quo vide quæ acutissimè dicuntur à Plotino eo libro quo docet intelligibilia nō esse extra intellectum.

4 Intellectus enim à materia separatus est. eòque fit vt idem intelligat & intelligatur. quia se ipse semper intelligit. Scribit enim Arist.cap.4.lib.3.de Animo, in iis quæ omnino materiæ expertia sunt idem esse quod intelligit & id ipsum quod intelligitur. De quo vide quæ scribuntur ab eodem Prisciano cap.19. lib. eiusdem.

5 Formæ vniuersæ hoc loco idearum rationem habent. Quæ in eiusmodi intellectu res singulas repræsentant, quarum sunt exemplaria. neque per has sunt aut in earum communione existunt. (Sicut de vniuersis substantiis in arte differendi dici solet ex Aristotelis sententia, cum hic ideas oppugnat) sed ab eis separatæ in se perfectionē summam habent: in eis autem adumbratam tantum imaginem. Quare minime mirum videri debet si de vniuersis hic aliter sit loquutus quam in Categoriis cap. de Substantia, vbi ait sublatis primis substantiis aliorum nihil esse posse.

Intellectus (sicut & antea, animi) munera distinguuntur in superiore mundo & in hoc inferiore: atque amplius quæritur num ipse in illis obeundis mutationem aliquam subeat.

Cap. 4.

1 *In quo si quis rursum hoc afferat, quoniam intellectus aliquando substantiam suam ad contemplandum propositam habet, aliquando res ipsas, commutationem aliquam in eum cadere oportere, quem tamē antea diximus incommutabilem esse atque impatibilem: hoc explicemus, constituentes eum diuersa naturæ suæ conditione in rebus ipsis contemplandis versari. Si quidem in mundo intelligibili, se ipse contemplatur. Ideóque huius intelligendi munus, eiusdem est essentia. In altero autem cadēte in sensum, con-*

templatio modo ad huius essentiam pertinet, modo ad res ipsas. Atque ad has ratione eius quod secundum partem dicitur: cuius essentia redit ad id quod vniuersum est, eo sublato quo impeditur. Quod enim in parte est, vim habet vniuersi: illúdque huius attributionem recipit, per quod etiam definitur, eo solo differẽs quod vniuerso subiiciatur. Hoc etiam accidit quod per intermedium animũ huic corporea quædam affectio imprimatur. Intellectus enim in corpus demersus eóque inuolutus atque cum sensu coniunctus, res ipsas propositas habet quæ contemplationi sunt subiectæ. Separatus verò in essentiæ suæ cognitionem incumbit. Qua sola ratione in intellectum quædam varietas cadit. At animus res ipsas discẽdo moueri dicitur: quia finitimus efficitur mundo intelligibili.[2] Eiúsque motus reflexus est: quòd scientia rem ipsam propositam habeat quam contempletur, atque ex hac ad essentiam reuertatur. Moueri tamẽ dicitur quia circa rem suapte natura immotam, variè afficitur. Intellectus autem varietatis expers, etiam immotus est. Nec verò fieri potest vt animus immotus sit. Quoniam hic subiectus intellectui. Quod autem alteri est subiectum, id immotum esse nõ potest: ne cum attributo idem efficiatur. Hoc tamen tenendum est animum in superiore mundo prius recto motu moueri quàm reflexo: in inferiore, contra. Si quis verò amplius vrgeat, atque intellectum moueri contendat: quia ab vno in aliud quandam varietatem recipit, quod autem varie afficitur, idem quoque moueri sit necesse: dicemus intellectum nunquam moueri nisi volente huius opifice primario. Cum verò hic vult, tum illum rectè perpetuóque moueri.[3] Quoniam eiusmodi motus illi quæ-

dam est quies: propter essentiã quam perpetuam habet atque impatibilem. Eóque cæteris naturis est præstantior. Quæ si non adhuc satisfaciunt, sed cõtra quis contendit intellectum contemplando moueri: quia contemplationi subiectam habet, nonnunquam rem ipsam, aliquãdo verò suã essentiam: Equidem si in eo mouetur, non aliter quam à se vel ad se ipse mouetur. Quare non ad res externas, nec ab illis ad se ipse mouetur. Cum eas in se contineat contentásque in naturam excitet, & in eo ipso motum subeat æquabilem omnísque varietatis expertem, atque idcirco quieti simillimum. Siquidẽ motus qui proprie dicitur, ab vno in aliud progreßionem habet. In hoc autẽ nec adimitur quicquam, nec vlla patitio notari poteſt. Quare neque commutatio est, neque paßio. Quoniam ille nec à sua substantia recedit: nec vllam qualitatem mutat. Neque enim verè scire diceretur, aut constanter nosse, si in eo commutaretur. Sed res obiectas contemplãs, nihil mouetur: quia illas in se continet. Quæ, vt sæpe diximus, ab illo profectæ, ad eundem reuertuntur.

SCHOLIA.

1 Ad hunc locum vide quę scribuntur à Prisciano Lydo ex Theophrasto cap. 5. lib. de phantasia & intellectu. In quibus docet, pati in intellectu, esse perfectionem quandam à superiore suscipere: dum videlicet quod inferius est sua quadam actione illinc perficitur: in eóque intellectum semetipsum perficere, Quoniam superioris munera, per suam actionem suscipit: accidere tamen in multis, idque frequenter, vt de iis quæ ad sensum pertinent nomina ad intellectum transferamus. Ex quibus etiam potest explicari quæstio alio loco inter Platonem & Aristot. controuersa, vtrum intellectus intelligendo, à se ipse moueatur (in quo Plato & Xenocrates eius essentiam posuerunt) an omnino in eum motus cadere non posit? Quod contra illos Arist. disputat lib. 1. de Animo.

2 Idcirco Plato, vt est apud Arist. cap. 2. lib. 1. de Animo, dixit mentem esse vnum, quia simplicissima cognitione res comprehendit, nec ab vno ante cognito progreditur ad incognita: scientiam duo, quòd in hac ex vno alterum colligatur: latitudinis autem numerum opinionem, & soliditatis, sensum.

3 Ineiusmodi enim motu summam essentiæ suæ constantiam obtinet: quæ eadem est quies. Quoniam præsentis conditionis est conseruatio. Quomodo in interpretatione definitionis naturæ disputauimus cap.5.lib.1.prioris nostrę descriptionis physicæ, Cælum in perpetuitate motus quiescere, id est, naturæ suæ conditionem perpetuam & eandem semper seruare.

Animum, sicut & intellectũ, in superiore mundo mutationis esse expertem, quia cum corpore non communicat: eundémque inter corpus & intellectum medium existere.

Cap. 5.

Neque verò animus in superiore mundo, qui intelligibilis est, commutabitur. Quoniam in eo purus & ab omni innolucro concretionéque secretus, actu suo fruitur, nulla in re cum corpore communicans, rerúmque inferiorum veram atque absolutam cognitionem est adeptus. Siquidem illic cum intellectu sine medio vnitur: qui in hoc inferiore cum sensibus erat coniunctus. Immortalis igitur clariórque factus, cum intellectu cohæret & ab eodem informatur. 1 *Quî enim ipse mortalis cogitari possit, cum aliæ substantiæ interitus sint expertes? Has enim ille seruat, sicut & ab intellectu ipse seruatur. Intellectus autem à primo rerum omnium opifice, qui à se ipse est.* 2 *Atque intellectus ipsius animi species est, ad eúmque hic se refert & cum illo contẽplatur. Qui prior rebus cæteris sine alia causa interiecta procreatus est: & per hunc intermedium, ipse animus: sicut & illa media natura procreata. Per medium autem animum, corpus: quemadmodum & hoc intermedio reliqua sunt procreata quæ ortui & interitui obnoxia. Ex quibus efficitur animum in superiore mundo incommutabilem atque impatibilem, substantiæ suæ huiúsque totius, cognitione perfrui. Quæ vnica scientia comprehensa est,*

eáque

eáque nullam dißimilitudinem recipiẽte: propter ſummam in illa vnionem. Siquidem tunc & ipſa & res quæ intelligitur atque intellectus, vnum quiddam ſunt.

SCHOLIA.

1 Comparatio eſt animi cum cæteris rebus quæ mundo ſuperiore continentur. Si enim mundus ille intelligibilis non modo per ſe omnino mutationis eſt expers: ſed ea ſola continet quæ ſemper eodem modo ſe habent: quo modo in eo animus commutabilis aut mortalis eſſe poterit? Ad eiuſmodi verò comparationem intelligendum eſt vt apud Platonicos ſuperior mundus, quem intelligibilem appellant, huius in ſenſum cadentis exemplar eſt & idæa: ſic eundem in ſe cõtinere exemplaria & ideas rerum ſingularum quæ ſunt in hoc inferiore. Atqui Ideæ apud illos æternæ ſunt & omnino impatibiles.

2 Alius interpres dixit intellectum eſſe animi faciem. Quo nomine videtur exemplar ſignificare voluiſſe, pro quo imaginis appellatione plerumque idem abutitur. Vt hoc loco author noſter fortaſſe velit animum ad intellectum conuerſum tanquam ad exemplar cuius ipſe imago eſt, in eo & cum eo rectè intelligere: ab eodem vero auerſum cæcutire vel omnino delirare. Quod Platonicorum doctrinæ maxime eſt conſentaneum.

Animum ſicut dictum eſt, inter corpus & intellectum medium, aliquando ad intellectum erigi, nonnunquam ad corpus deprimi. Indéque accidere vt cogitatio quæ illi propria eſt, in eodem duplex appareat.

Cap. 6.

1 *Animus ab intellectu digreſſus & in hunc mundum demiſſus, in rebus contemplandis præter intelligentiã, memoriam habet: ſed ſine recordatione ſuperiorum.* 2 *Alioqui non deſcendiſſet in hunc inferiorem mundum. Atque quemadmodum inferiorũ memor, ab illis recedens in hæc deſcendit: ſic antea in cæleſtes orbes delapſus, ſi eorum memoriam ſeruaret, in eis conſiſteret. Quare vt cum in inferiore mundo eſt, inferiorum tantum meminit: ſic in cælum excitatus eius ſolius memoriam retinet eíque ſimilis & quaſi idẽ efficitur. Iis enim ſimilis eſt animus quorum memoriam habet: nec ſine illa ſimilitudine verè memor eſſe di-*

ceretur. Quidámque similis est intellectui: alius verò sensui. Atque substantiarum intelligentia, ratione firma nititur. [3] *Cogitatio autem, infirma. Hæcque non vnica est, sed varia & multiplex pro varietate eorum quæ in eandē cadunt: siue terrena sint, siue cælestia. Quibus per imitationem quandam est similis peneque eadem.* [4] *Illa autem corpora sunt quasi emortua: quoniam secunda sunt. At cogitatio vtrisque verè similis esse non potest, sicut intelligētia. Quoniam illa media est inter intellectum & sensum. Atque in vtrumque horum ex æquo propensa: nec sine iis quicquam perfectè conseruare potest. Ex quibus manifestum est animum per memoriam cum visione coniungere rem nobilem vel ignobilem. Ergo reuersi ad id quod erat institutum, dicamus animum in mundo superiore non impeditum, perfectum bonum appetere, idémque (medio intellectu repræsentante) intelligere liberum miniméque impeditum. A quo animus vniuersi & rationis particeps, per medium intellectum distinguitur. Enimuero idem animus à primo bono auersus & ad inferiora conuersus, ea expetit quæ memoria continet. Siquidem talia non appetit, nisi prius cogitatione complectatur. Antea verò dictū est cogitationem esse quandam memoriam.*

SCHOLIA.

1 Si hoc opus Aristotelis esse constaret, facile ex eo intelligeretur quod idem pluribus locis repetit libris de Animo, hunc à corpore separatum neque amare, neque odisse, neque recordari: atque eadem opera refelleretur eorum error qui arbitrantur ab illo non poni eum animum immortalem qui in singulis nobis est, sed vnum tantum communem omnium. Nam cum ipsum qui in nobis recordatur, separatum à corpore manere vult: non amplius tamen recordari. Atqui is, opinor, qui in nobis recordatur, singulis est proprius: non vnus communis omnium. De quo vide quæ disputata sunt lib: de animi immortalitate quem latinum fecimus..

2 Magna quęstio apud Platonicos vtrum animus in corpus sua sponte descēderit, cum antea frueretur cælestium contemplatione & inferiora hæc despiceret: an verò id eo factum, fit quòd non solum propter imbecillitatem non posset amplius cum cælestibus consistere, sed quod naturæ suæ propagationem in subiecta materia appeteret. De quo pluribus disputat author hic cap.1. lib.7. sicut & Plotinus lib. de descensu animi in corpora. Ad id verò quod dicitur de obliuione superioris vitæ, pertinet quod ex 10. de Rep. Platonis fabulatur Virgilius Aeneidos 6.

Has omnes, inquit, vbi mille rotam voluère per annos
Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

3 Cogitationem hoc loco, sicut & antea, appellat rationis progresionem à re cognita ad incognitam. Quæ cum visione siue imaginatione coniuncta est, aut ea antecedente necessario indiget. Quoniam illa rerum notiones vniuersas quas inter se ratiocinando comparat, ex visis colligit: id est ex imaginibus rerum singularum sensibus perceptarum. Atque ideo media inter sensum & intellectum esse dicitur, infirma variáque pro varietate eorum circa quæ versatur.

4 Locus est obscurus. Nec tamen ex eo interprete quem fideliter sequi voluimus, apertior reddi potuit. Sed quantum coniectura assequimur, per emortua corpora quæ cogitatione comprehenduntur, intelligit hæc singula in sensum cadentia. Quæ à Platonicis cum idæis comparata, in secundis substantiis numerantur: quia ex illis pendent. Et eadem ratione emortua esse dicuntur, quoniam vita, sicut & essentia, vere tantum est in idæis: ad quas res singulæ se habere videntur vt mortua hominis imago ad viuum hominem.

Intellectum res superiores & inferiores quodammodo ignorare: quamquam ratione dissimili. Idémque de animo dici posse, qui aliter res cognoscit in corpore quàm cum ab eodem est separatus.

CAP. 7.

Si quis autem subijceret animum in huius mundi contemplatione vigere prius quàm in eundem delabatur, atque hac ratione fore cōtendat vt ab hoc ad superiorem reuersus, inferiorem adhuc intueatur, ideóque eius memoriā seruet: cum tamen iam dictum sit in mundo intelligibili nullam esse huius memoriam: ad eius rei explicationem cōstituamus animum, mundum hunc quem nondum incolit, contemplari per intelligentiam, quæ ignorantia quædā

est, non scientia: & tamen quauis scientia nobilior. Idque ex eo contingere quod intellectus superius agens ignorat & ea quæ inferiora sunt. Idémque memor inferiorum [1] alio interiecto ab illo honorando ad hunc inferiorem mundum delabitur. [2] Intellectus verò superiorem rerum omnium opificem ignorat: quia eum perfectè non cognoscit. alioqui eodem superior esset, vt eius author: sicque effectus cum efficiente comparatus, ipse efficientis rationem obtineret. Quod in iis est quæ probari nullo modo possunt. Atque ille vt antea propositum est, res inferiores dicitur ignorare: non quòd harum scientia omnino careat, quas in se continet: sed cum nostræ ignorantiæ causa in maxima imbecillitate sit posita, intellectus contra propter summam supremámque perfectionem ignorare dicitur. Quia res non secundum proprietatem essentiæ quæ in illis est, contemplatur: sed altiore quodammodo. quippe qui sit earum causa: res verò vnaquæque superiore modò in sua causa existat quàm in se ipsa. Primus etiam opifex nō eodem modo quo intellectus, sed altiore, res ipsas cognoscit. Nempe vt illas procreat, easdem quoque cognoscit. Quare hoc etiam nomine intellectus scientia, ignorantia quædam est. Quoniā ab illa quæ in Deo perfectissima, multis gradibus distinguitur. Ex quo antea dictum est, intellectum res subiectas ignorare. Eiusdem verò ignorantia, scientia quædam appellatur. Quoniam rerum eiusmodi consideratio, perfecta est: etiam si essentiæ non omnino respondeat. Neque harum scientia indiget: quia vt à sapiente dictum, earum causa est, omnes in se continens. [3] Summus opifex omnia in intellectu conseruat quæ certo ordine in animam eduxit, per

medium intellectum: & in naturam, per animum: in mundum verò hunc, per vtrúmque, donec ventum ad singula. Cum verò Deus intellectum procreauerit, hícque rerũ causa sit: consequutione quadam efficitur Deum rerum omnium esse opificem, nec earum scientia indigere. Quas si intellectus ignorat, eò certè ignorat, quod illas ex nihilo primò non procreauit. Sicut & earundem Deus sciẽtiam habet, quia illarum est opifex. Atque intellectus eas ignorare dicitur quas in se ipsis nõ cognoscit: sicque in eodem essentiæ cognitio, quædam est ignoratio: si cum Dei cognitione conferatur. Non enim cum se talem qualis est: cognoscit, omnino in ignoratione versatur (quî enim hoc dici potest cum ipse sit idem cum scientiis & iis rebus quæ sciuntur: & quemadmodum antea dictum est, animus per hunc cõtempletur?) sed hoc tantum asserimus eius scientiam ignorantiam quandam esse: si ex rerum omnium opifice spectetur. Quomodo animus cum intellectu comparatus id ignorat cuius causa est. alioqui primo rerum omnium opifice, vt superiore non indigeret. Itaque reuocato sermone ad id quod erat institutum, statuamus animum ab hoc domicilio separatum, cum in cælum euolauerit, eorum memoriam amittere quæ prius cognouerat: Maximè verò singulorum ipsos sensus mouentium & suapte natura caducorum: sed illũ versari circa ea quæ ex sensilibus sunt intellecta. Alioqui tales rerum imagines reciperet, quales antea quando cùm corpore erat coniunctus. Quod omnino absurdum est. Siquidem in eo etiam cogitatio vigeret. Cogitatio autẽ sicut antea diximus, sine visione non est. Si verò illic in animo rerum visiones vigerent, eadem esset eorum separato-

nus diuisæ. Siquidē minus in corpore distinctæ sunt. Quoniam functiones suas non exercent per instrumenta sedibus distincta. Alioqui neque in toto corpore actiones suas ederent. Vires igitur animi quædam sunt propriis instrumentis in corpore differentes, aliæ toti corpori communes.

SCHOLIA.

1 Animus peripateticis sua substantia simplex est, facultatibus multiplex: De quibus quædam corpori addictæ simul cum illo intereunt: aliæ cum corpore non communicantes, in eo separato manent. Vt colligi potest ex cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu. Ex Platonis verò sententia eundem sua substantia sicut & sedibus in quibus residet, esse multiplicem Galenus persuadere conatur libris de Placitis Hippocratis & Plat. & in fragmento libri de iis quæ medicè à Platone dicta sunt in Timæo. Quanquam de eo magistri mentem aliter interpretantur Platonici: vt à nobis obseruatum est Commentario in Institutionem Alcinoi ad Platonis doctrinam.

2 In partibus vel facultatibus animi prima secundum speciem distinctio fit in eas quæ constituunt res animatas specie differentes. Talésque tres ab Arist. numerantur libro 2. de Animo, alendi, sentiendi & ratiocinandi. Quoniam hę in ipsis rebus ita se habent, vt plantis insit sola vis alendi, belluis etiam altera quæ sentiēdi: in homine verò ad illas duas tertia accedat, ratiocinandi. Et quia de belluis quædam viuunt ac sentiunt, sed libero motu, qui animalis est, non mouentur: idcirco idem nonnūquam in illis primis facultatibus quartam numerat eam quæ mouendi loco: quòd per illam belluæ omnino separētur ab iis quæ ambiguæ vitæ esse dicuntur inter plantas & animalia. In iis verò quatuor quæ hoc loco proponuntur, imaginandi facultas ab altrice manifestam habet distinctionem: quòd illa animalium tantum sit, nec horum fortasse omnium: hæc verò communiter pertineat ad omnia viuentia quæ mortalia sunt. De cōcupiscibili & irascibili tam simplex explicatio afferri non potest: propter cupiditatis multiplicem significationem. Nam si eam cupiditatem intelligimus quæ est alimenti, & naturalis appellatur: cuius Plato in animi diuisione rationem habuisse videtur, lib. 4. de Rep. concupiscendi facultas cùm altrice erit coniuncta. Si verò specialior cupiditas, quæ animalis dicitur, spectetur cum sensu coniuncta, aut sensum sequens, quemadmodum & apud Arist. cap. 2. lib. 2. de Animo, sub hac ira & sub concupiscibili facultate irascibilis continebitur. Quoniam ira quædam est vltionis cupiditas. Ex eóque idem Arist. cap. 10. lib. 3. de Animo, Platonem reprehendit, quòd in animo irascibilem facultatem à concupiscibili distingueret: sentiendi autem, intelligendi & deliberandi principia non separaret. Cum tria hæc magis à seinuicem distare, quam illa duo videantur.

3 Aliter tamē animus in perfectis animalibus & sanguineis quàm in exanguibus simul cum corpore diuisionem recipiet. Sanguineorum enim animalium partes omnes in ipso quidem animali coniunctæ sentiunt per spiritum qui in eas diffunditur: ab illo verò simul atque sunt separatæ, omnino sensus sunt expertes. At in exanguibus non modo partes singulæ in toto vnitæ, sed & à toto separatæ, & à seinuicem diuulsæ, adhuc sunt ad aliquod tempus sensus participes.

ticipes. Idque accidit quia in sanguineis animi sentientis sedes primaria, est in certa corporis parte, tanquam in officina ipsius spiritus: à qua reliquis sentiendi vis per eundem spiritum communicatur. In exanguibus nulla sedes est eiusmodi, sed sentiendi vis æquabiliter toto corpore fusa. Quare in illis partes ab eiusmodi sede separatæ sentiendi vim omnino amittunt: in aliis verò animalibus tandiu retinent, quandiu conseruant benignum quendam humorem sanguini proportione respondentem, quem habent pro animi sede. Ideóque Arist. cap. 5. lib. 3. de partibus animalium, scribit in sanguineis animum sentientem simplicem esse & vnum, non modo reipsa, sed & facultate: in exanguibus autem vnum quidem esse re, facultate verò multiplicem atque diuiduum.

4 Locus est obscurus. In quo significat inter tactum & reliquos sensus hoc interesse, quod tactus instrumentum per totum corpus diffusum sit: ea verò quæ reliquis quatuor sensibus subseruiunt, in certis corporis partibus sint posita. Ex quo accidit vt qualibet corporis parte tactilium qualitatum differentias sentiamus: colores verò oculo tantum, sonos auribus, sapores lingua, odores narium meatibus. Qua ratione sentiendi vis in homine magis cum ipso tactu diuidua videri potest, quàm cum aspectu vel auditu. Et tamen etiam in hoc sensu adhuc secundum substantiã omnino indiuiduus est animus: in quo ipsius tactus sicut & reliquorum sensuum principium.

Sensum communem cum spiritu animali coniunctum, re vnicum esse: diuersum tamen videri, pro diuersitate partium corporis, in quas spiritus influit: quoque modo sensum sequantur aliæ animi operationes, quæ cum corpore minus videntur cõmunicare.

Cap. 9.

1 *Vnica sentiendi virtus vnit omnium sensuum instrumenta, cum in ea per internuncios sensus proprios defluit, & horum obiecta percipit atque discernit. Illáque indiuidua est, neque tamen agit per vnicum instrumentum: propter magnam vim ipsius spiritus. Quare omnes sensus ad eandem terminantur, non aliter quàm* 2 *lineæ à circuli ambitu ad centrum, eáque omnia in quæ ipsi sensus feruntur simul & in temporis puncto cognoscit. Sensus enim qui proprius est, tantum discernit speciem obiecti, ad ipsam virtutem certam rationem habentis: vt Aspectus candorem & nigrorem caeterósque colores: Auditus sonum acu-*

tum, leuem, grauem, & tardum: Odoratus fœtorem & odores reliquos: Gustatus dulcedinem & alias saporum differentias: Tactus asperitatem & lenitatem. Vis autem ipsius spiritus sensibus communis, discernit sensilia & species singulorum, eáque ad phantasticam facultatem, quæ imaginum est, refert. Hæc format eadem & pro arbitrio componit: deinde traducit ad memoriam: à qua illa ad vsum commodum conseruantur. Rursúmque cogitandi vis ad aliam affectionem defert, donec ad intellectum perferãtur. Hæque omnes virtutes spirituũ sunt, atque per se functiones suas exercẽt sine instrumẽtis in corpore manifestis.

SCHOLIA.

1 Sentiendi vim primam, quæ attribuitur sensui communi, in nobis re vnicam esse oportere Aristoteles confirmat cap.2.lib.3. de Anima. Itémque Plato in Theæteto. Cuius cum instrumenta multa sint ordinem quendam inter se habentia: primum quidem (ipse scilicet spiritus qui animalis dicitur) re vnũ est: sed influit in diuersa Instrumenta secunda, per medios neruos, vt in oculos in linguã, in meatus aurium & narium: atque in iis causa est actionum differẽtium. Quemadmodum in musicis spiritus vnus & idem reipsa suáque origine, inflans dispares tibias, sonos edit omnino differentes.

2 Sententia eadem est Aristotelis cap. vltimo lib.2. de Anima & ad finem lib. de Sensu. Ideóque vt centrum in circulo vnum & idem, ratione tam est multiplex quàm multæ sunt lineæ quæ ab illo ducuntur: sic sensus communis re vnus, varius esse videtur, pro diuersitate functionum differentium, ad quas vtitur differentibus corporis instrumentis. Et quemadmodum magis differt color à sono, quàm candor à nigrore: ita quoque sensus interioris functiones magis differentes sunt quibus percipiuntur obiecta genere differentia, quàm quæ ad ea pertinent quæ sunt eiusdem generis.

De facultatibus animi quæ enumeratæ sunt, quæritur vtrum in corpore sedibus suis distinguantur: quóque modo animus totus in corpore esse dicatur.

Cap. 10.

Quærendum est an pro illis animi facultatibus quæ cõmemoratæ sunt, sedes in corpore sint distinctæ. Nos quidẽ

dicimus virtutes animi in ea corporis parte cognosci, in qua earum operationes apparent: & de illis quasdam sedibus indigere, non vt in illis sint, sed potius vt actiones quas edunt, in eis ostendant tanquam in receptaculis accõmodatis. Ipse verò animus suæ actioni corporis partem accommodat, eiúsque virtutes diuersæ esse videntur tantùm pro conditione membrorum variè affectorum. Quanquam hæ non omnino diuersæ sunt, nec ex iis ille componitur, sed natura sua simplex est. Atque de eius virtutibus, quæ præstantiores sunt, hæ ab eadem sine vlla intermißione in corporis partes influunt. [1] Ex quo efficitur facultates esse animi non instrumentorum: immò verò quantò nobiliores sunt, tantò magis animo potius quàm ipsis membris inesse videntur. Reuocata igitur oratione ad id quod primo loco fuerat institutum, dicimus si nulla animi virtus propriam sedem habet, futurum vt eius vis interior ab exteriore nulla re prorsus distinguatur: neque partem corporis qua mouemur diuersam fore à sentiente, per insitam virtutem aliunde influentem. Quod omnino à ratione est alienum. [2] Itémque ignorari erit necesse quibus instrumentis animi operationes sint insitæ. Si quis verò hoc respondeat, virtutes animi quasdam suas sedes habere in illis membris, in quibus earum operationes apparent: rursus hoc opponemus, si ita constituatur fore, vt animus totus nobis non insit, sed eius pars aliqua extra nos maneat. Id verò probari nullo modo potest. Quare nudè hæc explicantes, asserimus nullam omnino animi partem in loco existere: siue animus ipse corpori insit, siue non insit. Quoniam locus ambit atque continet id cuius locus est, & quicquid

loco continetur, corpus est. At neque animus ipse, neque eius facultas ulla, corpus est. Cùm verò dicimus eius quasdam vires certis membris inesse: non in illis tanquam in loco eas esse intelligimus: sed quia in eis illarum operationes apparent. [3] *Alier enim se habet corpus ad locum, quàm animus ad ipsum corpus. Siquidem hic corpus continet, non autem corpore continetur, cùm sit causa corporis. At si animus in corpore esset tanquam in loco, aliquãdo corpus sine animo existeret, hícque illud paulatim subiret, sicut aqua vasculum. Itémque locus non est in corpore, sed ipsum ambit, cum sit eiusdem conceptaculum:* [4] *estque amplior corpore, quandoquidem & illud continet. Corpus autem animum non ambit. Si verò fortasse quis arbitretur fieri nullo modo posse, ut animus in corpore sit aliter quàm ut in loco, contra opponemus locũ superficiem esse extremam, corpus ipsum ambientem. Ex quo efficietur animum in extrema tantum corporis superficie futurum: reliquum verò corpus animi expers. Quod rationi nullomodo est consentaneum. Amplius si animus sit in corpore tanquam in vase, corpus ipsi animo motum præstabit: quod à veritate omnino abhorret. Siquidem cõtra potius animus in corpore motus causa est. Atqui vas cum mouetur secum mouet rem eam quam continet. Corpore etiam intereunte, animum oporteret interire. Atqui ille à corpore separatus longe constantior & firmior efficitur.* [5] *Si quis verò adhuc opponat locum non esse superficiem extremam, sed ipsum interuallum: eo minus erit probabile animum in corpore tanquam in loco existere. Quoniam interuallum inane quiddam est: corpus autem*

inane non eſt,ſed in inani. Quare ſi eo modo in corpore tã-quam in loco animus exiſteret: fateri eſſet neceſſe,quod abſurdum eſt,eum in inani exiſtere. Nihilo verò magis animus in corpore eſſe dicitur, vt affectio in ſubiecto: verbi gratia color vel figura in corpore. Affectiones enim à ſubiecto ſeparatæ non manent incorruptæ. Animus autem ſine interitu à corpore ſeparatus, eo etiam diſſoluto, manet. Neque is interit corpore intereunte: quemadmodum pars ſimul cum toto diſſoluitur. Quandoquidem ille corporis pars non eſt. Nec verò in corpore eſt, vt totum in parte. Quoniam omnino contra opinionem eſt animum totum corpúſque eius partem dicere. Neque illæ in corpore eſt vt forma in materia prima. [6] Quia forma ſine interitu à materia prima ſeparari non poteſt. Animum autem non eſſe eiuſmodi ex eo intelligitur quod ſine interitu à corpore ſeparatur. Et materia prima formam antecedit: corpus verò poſterius eſt animo,qui formam cum materia coniũgit,ex illiſque corpus perficit. Itaque non eſt in corpore vt forma in materia prima. Nec vt agens in eo quod agitur eíque inhærens: alioqui etiam viciſſim ab eodem afficeretur. Effectum eſt igitur animum nullo ex iis modis qui enumerati ſunt,in corpore exiſtere.

SCHOLIA.

1 Neceſsitate coacti circa locum hunc veterem interpretationem quam pro exemplari ſequebamur, aliqua ex parte immutauimus. In ea enim ita legitur. Ob id vires,non ſunt animæ inſtrumenta: ſed & quanto ſunt nobiliores, tanto magis ſunt in ipſa anima tales quàm in ipſis membris. Ex quo cũ nullam ſententiam poſſemus elicere quæ cum aliqua probabilitate poſſet retineri,paucis mutatis ſignificari putauimus facultates,in quibus exercẽdis animus cum corpore communicat,non eſſe partibus corporis organicis attribuendas, ſed animo. Quanquam ſi verè iudicamus & animi ſunt & partium organicarum: ſed animi vt cauſæ principis, partium organicarum, vt adiuuantium. Ex cóque

3 In eiusmodi enim motu summam essentiæ suæ constantiam obtinet: quæ eadem est quies. Quoniam præsentis conditionis est conseruatio. Quomodo in interpretatione definitionis naturæ disputauimus cap. 5. lib. 1. prioris nostræ descriptionis physicæ, Cælum in perpetuitate motus quiescere, id est, naturæ suæ conditionem perpetuam & eandem semper seruare.

Animum, sicut & intellectũ, in superiore mundo mutationis esse expertem, quia cum corpore non communicat: eundémque inter corpus & intellectum medium existere.

Cap. 5.

Neque verò animus in superiore mundo, qui intelligibilis est, commutabitur. Quoniam in eo purus & ab omni inuolucro concretionéque secretus, actu suo fruitur, nulla in re cum corpore communicans, rerúmque inferiorum veram atque absolutam cognitionem est adeptus. Siquidem illic cum intellectu sine medio vnitur: qui in hoc inferiore cum sensibus erat coniunctus. Immortalis igitur clariórque factus, cum intellectu cohæret & ab eodem informatur. [1] *Quî enim ipse mortalis cogitari posit, cum aliæ substantiæ interitus sint expertes? Has enim ille seruat, sicut & ab intellectu ipse seruatur. Intellectus autem à primo rerum omnium opifice, qui à se ipse est.* [2] *Atque intellectus ipsius animi species est, ad eúmque hic se refert & cum illo contẽplatur. Qui prior rebus cæteris sine alia causa interiecta procreatus est: & per hunc intermedium, ipse animus: sicut & illa media natura procreata. Per medium autem animum, corpus: quemadmodum & hoc intermedio reliqua sunt procreata quæ ortui & interitui obnoxia. Ex quibus efficitur animum in superiore mundo incommutabilem atque impatibilem, substantiæ suæ huiúsque totius, cognitione perfrui. Quæ vnica scientia comprehensa est,*

eáque

eáque nullam dißimilitudinem recipiẽte: propter ſummam in illa vnionem. Siquidem tunc & ipſa & res quæ intelligitur atque intellectus, vnum quiddam ſunt.

SCHOLIA.

1 Comparatio eſt animi cum cæteris rebus quæ mundo ſuperiore continentur. Si enim mundus ille intelligibilis non modo per ſe omnino mutationis eſt expers: ſed ea ſola continet quæ ſemper eodem modo ſe habent: quo modo in eo animus commutabilis aut mortalis eſſe poterit? Ad eiuſmodi verò comparationem intelligendum eſt vt apud Platonicos ſuperior mundus, quem intelligibilem appellant, huius in ſenſum cadentis exemplar eſt & idæa: ſic eundem in ſe cõtinere exemplaria & ideas rerum ſingularum quæ ſunt in hoc inferiore. Atqui Ideæ apud illos æternæ ſunt & omnino impatibiles.

2 Alius interpres dixit intellectum eſſe animi faciem. Quo nomine videtur exemplar ſignificare voluiſſe, pro quo imaginis appellatione plerúmque idem abutitur. Vt hoc loco author noſter fortaſſe velit animum ad intellectum conuerſum tanquam ad exemplar cuius ipſe imago eſt, in eo & cum eo rectè intelligere: ab eodem vero auerſum cæcutire vel omnino delirare. Quod Platonicorum doctrinæ maxime eſt conſentaneum.

Animum ſicut dictum eſt, inter corpus & intellectum medium, aliquando ad intellectum erigi, nonnunquam ad corpus deprimi. Indéque accidere vt cogitatio quæ illi propria eſt, in eodem duplex appareat.

Cap. 6.

1 *Animus ab intellectu digreſſus & in hunc mundum demiſſus, in rebus contemplandis præter intelligentiã, memoriam habet: ſed ſine recordatione ſuperiorum.* 2 *Alioqui non deſcendiſſet in hunc inferiorem mundum. Atque quemadmodum inferiorũ memor, ab illis recedens in hæc deſcendit: ſic antea in cæleſtes orbes delapſus, ſi eorum memoriam ſeruaret, in eis conſiſteret. Quare vt cum in inferiore mundo eſt, inferiorum tantum meminit: ſic in cælum excitatus eius ſolius memoriam retinet eíque ſimilis & quaſi idẽ efficitur. Iis enim ſimilis eſt animus quorum memoriam habet: nec ſine illa ſimilitudine verè memor eſſe di-*

ceretur. Quidámque similis est intellectui: alius verò sensui. Atque substantiarum intelligentia, ratione firma nititur. [3] Cogitatio autem, infirma. Hæcque non vnica est, sed varia & multiplex pro varietate eorum quæ in eandē cadunt: siue terrena sint, siue cælestia. Quibus per imitationem quandam est similis penéque eadem. [4] Illa autem corpora sunt quasi emortua: quoniam secunda sunt. At cogitatio vtrisque verè similis esse non potest, sicut intelligētia. Quoniam illa media est inter intellectum & sensum. Atque in vtrumque horum ex æquo propensa: nec sine iis quicquam perfectè conseruare potest. Ex quibus manifestum est animum per memoriam cum visione coniungere rem nobilem vel ignobilem. Ergo reuersi ad id quod erat institutum, dicamus animum in mundo superiore non impeditum, perfectum bonum appetere, idémque (medio intellectu repræsentante) intelligere liberum miniméque impeditum. A quo animus vniuersi & rationis particeps, per medium intellectum distinguitur. Enimuero idem animus à primo bono auersus & ad inferiora conuersus, ea expetit quæ memoria continet. Siquidem talia non appetit, nisi prius cogitatione complectatur. Antea verò dictū est cogitationem esse quandam memoriam.

SCHOLIA.

[1] Si hoc opus Aristotelis esse constaret, facile ex eo intelligeretur quod idem pluribus locis repetit libris de Animo, hunc à corpore separatum neque amare, neque odisse, neque recordari: atque eadem opera refelleretur eorum error qui arbitrantur ab illo non poni eum animum immortalem qui in singulis nobis est, sed vnum tantum communem omnium. Nam, cum ipsum qui in nobis recordatur, separatum à corpore manere vult: non amplius tamen recordari. Atqui is, opinor, qui in nobis recordatur, singulis est proprius: non vnus communis omnium. De quo vide quæ disputata sunt lib: de animi immortalitate quem latinum fecimus.

2 Magna quæstio apud Platonicos vtrum animus in corpus sua sponte descẽderit, cum antea frueretur cælestium contemplatione & inferiora hæc despiceret: an verò id eo factum, sit quòd non solum propter imbecillitatem non posset amplius cum cælestibus consistere, sed quod naturæ suæ propagationem in subiecta materia appeteret. De quo pluribus disputat author hic cap. 1. lib. 7. sicut & Plotinus lib. de descensu animi in corpora. Ad id verò quod dicitur de obliuione superioris vitæ, pertinet quod ex 10. de Rep. Platonis fabulatur Virgilius Aeneidos 6.

Has omnes, inquit, vbi mille rotam voluêre per annos
Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

3 Cogitationem hoc loco, sicut & antea, appellat rationis progressionem à re cognita ad incognitam. Quæ cum visione siue imaginatione coniuncta est, aut ea antecedente necessario indiget. Quoniam illa rerum notiones vniuersas quas inter se ratiocinando comparat, ex visis colligit: id est ex imaginibus rerum singularum sensibus perceptarum. Atque ideo media inter sensum & intellectum esse dicitur, infirma variàque pro varietate eorum circa quæ versatur.

4 Locus est obscurus. Nec tamen ex eo interprete quem fideliter sequi voluimus, apertior reddi potuit. Sed quantum coniectura assequimur, per emortua corpora quæ cogitatione comprehenduntur, intelligit hæc singula in sensum cadentia. Quæ à Platonicis cum idæis comparata, in secundis substantiis numerantur: quia ex illis pendent. Et eadem ratione emortua esse dicuntur, quoniam vita, sicut & essentia, vere tantum est in idæis: ad quas res singulæ se habere videntur vt mortua hominis imago ad viuum hominem.

Intellectum res superiores & inferiores quodammodo ignorare: quamquam ratione dissimili. Idémque de animo dici posse, qui aliter res cognoscit in corpore quàm cum ab eodem est separatus.

CAP. 7.

Si quis autem subijceret animum in huius mundi contemplatione vigere prius quàm in eundem delabatur, atque hac ratione fore cõtendat vt ab hoc ad superiorem reuersus, inferiorem adhuc intueatur, ideóque eius memoriã seruet: cum tamen iam dictum sit in mundo intelligibili nullam esse huius memoriam: ad eius rei explicationem cõstituamus animum, mundum hunc quem nondum incolit, contemplari per intelligentiam, quæ ignorantia quædã

est, non scientia: & tamen quauis scientia nobilior. Idque ex eo contingere quod intellectus superius agens ignorat & ea quæ inferiora sunt. Idémque memor inferiorum [1] alio interiecto ab illo honorando ad hunc inferiorem mundum delabitur. [2] Intellectus verò superiorem rerum omnium opificem ignorat: quia eum perfectè non cognoscit. alioqui eodem superior esset, vt eius author: sicque effectus cum efficiente comparatus, ipse efficientis rationem obtineret. Quod in iis est quæ probari nullo modo possunt. Atque ille vt antea propositum est, res inferiores dicitur ignorare: non quòd harum scientia omnino careat, quas in se continet: sed cum nostræ ignorantiæ causa in maxima imbecillitate sit posita, intellectus contra propter summam supremámque perfectionem ignorare dicitur. Quia res non secundum proprietatem essentiæ quæ in illis est, contemplatur: sed altiore quodammodo. quippe qui sit earum causa: res verò vnaquæque superiore modò in sua causa existat quàm in se ipsa. Primus etiam opifex nõ eodem modo quo intellectus, sed altiore, res ipsas cognoscit. Nempe vt illas procreat, easdem quoque cognoscit. Quare hoc etiam nomine intellectus scientia, ignorantia quædam est. Quoniã ab illa quæ in Deo perfectißima, multis gradibus distinguitur. Ex quo antea dictum est, intellectum res subiectas ignorare. Eiusdem verò ignorantia, scientia quædam appellatur. Quoniam rerũ eiusmodi consideratio, perfecta est: etiam si essentiæ non omnino respondeat. Neque harum scientia indiget: quia vt à sapiente dictum, earum causa est, omnes in se continens. [3] Summus opifex omnia in intellectu conseruat quæ certo ordine in animam eduxit, per

medium intellectum: & in naturam, per animum: in mundum verò hunc, per vtrúmque, donec ventum ad singula. Cum verò Deus intellectum procreauerit, hícque rerũ causa sit: consequutione quadam efficitur Deum rerum omnium esse opificem, nec earum scientia indigere. Quas si intellectus ignorat, eò certè ignorat, quod illas ex nihilo primò non procreauit. Sicut & earundem Deus sciẽtiam habet, quia illarum est opifex. Atque intellectus eas ignorare dicitur quas in se ipsis nõ cognoscit: sicq̃ue in eodem essentiæ cognitio, quædam est ignoratio: si cum Dei cognitione conferatur. Non enim cum se talem qualis est: cognoscit, omnino in ignoratione versatur (quî enim hoc dici potest cum ipse sit idem cum scientiis & iis rebus quæ sciuntur: & quemadmodum antea dictum est, animus per hunc cõtempletur?) sed hoc tantum asserimus eius scientiam ignorantiam quandam esse: si ex rerum omnium opifice spectetur. Quomodo animus cum intellectu comparatus id ignorat cuius causa est. alioqui primo rerum omnium opifice, vt superiore non indigeret. Itaque reuocato sermone ad id quod erat institutum, statuamus animum ab hoc domicilio separatum, cum in cælum euolauerit, eorum memoriam amittere quæ prius cognouerat: Maximè verò singulorum ipsos sensus mouentium & suapte natura caducorum: sed illũ versari circa ea quæ ex sensilibus sunt intellecta. Alioqui tales rerum imagines reciperet, quales antea quando cùm corpore erat coniunctus. Quod omnino absurdum est. Siquidem in eo etiam cogitatio vigeret. Cogitatio autẽ sicut antea diximus, sine visione non est. Si verò illic in animo rerum visiones vigerent, eadem esset eorum separato-

rum, quæ cum corporibus coniunctorum conditio. Quod admitti nullo modo potest. Tum enim tantum rerum species recipiunt per medium intellectum, cum quo vniuntur. Quare animus in mundo intelligibili per visa non discurrit: antéaque cõfirmatum est eum ab illo delapsum memoria indigere sensilium, commutabilium & caducorum: & per inductionem declaratum quæ sit ratio ignorantiæ in illo, quando cum primo opifice comparatur, & cum iis rebus quarum ipse est causa.

SCHOLIA.

1 Inter intellectum mundúmque hunc inferiorem medius est animus, per quem in hoc ille omnia procreat, mouet & conseruat. Atque inter eundem primúmque honorandum rerum omniũ opificem, interiectum quoque est ipsum verbum. De quo multa in Platonicorum doctrina valde recondita, & si cum nostra religione conferantur, imprimis admiranda, quæ colligentur lib. 10. Quanquam illa ab Arist. proficisci potuisse, præsertim in eo opere in quo Platonica omnino sequitur, facilè credet qui eadem animaduerterit in ipso Platone & antiquiore scriptore Mercurio Trismegisto. De quibus eo loco amplius differetur.

2 Ad perfectam scientiam postulare videtur rationis quandam æqualitatem inter rem obiectam & eam quæ scire dicitur. Ideóque negat intellectum primi opificis aut harum rerum inferiorum scientiam habere. Quia neque cum iis, neque cum illo habet rationis æqualitatem. Hoc tamen inter has duas cõparationes interest, quod ille à primo opifice superatur, nec satis perfectus est ad assequendam eius scientiam partibus omnibus absolutam: res verò has inferiores superat, atque idcirco propter excedentem perfectionem easdem dicitur ignorare.

3 Inter hæc ordo constituendus est, qui amplius explicabitur cap. 2. lib. 10. In Deo mens est, siue Dei verbum. Huic subiectus intellectus, à quo emanat animus hícque primum rationis particeps, sicut radius luminis ab ipso sole: & ab hoc rursum pars altera in qua inest sentiendi principium. A cuius lumine profluit natura plantarum & postremò ea quæ corpori prorsus addita est. Itaq; Deus omnium author est, moderator & conseruator: sed non omnia ad illum relata, in eodem consistunt gradu.

Animus quo modo suis facultatibus distinguatur, aut simul cum corpore diuidatur.

Cap. 8.

1 *Nunc dicendum est quam ob causam in animum hu-*

manum diuisio cadat, & quid in eo diuisionem per se sequatur. Sed illud primum nosse oportet an animus diuisionem recipiat: atque vtrum per se, an aduẽtitia tantum vi. Nos verò constituemus hunc cum corpore cõiunctum, aduentitia vi diuidi. Quoniam quæ indiuidua sunt cum diuiduis coniuncta, aduentitia vi diuidua esse dicuntur. [2] Diuisio autem secundum speciem appellatur, cum phantastica vis, quæ imaginum est, ab altrice, & concupiscibilis ab irascibili alia constituitur. Dicimus enim vim eam quæ est imaginum primò vna corporis parte contineri, alia concupiscibilem, alia etiam irascibilem. [3] Quare animus aduentitia vi, non autem per se, simul cum corpore diuiditur: substantiæ verò nullam diuisionẽ recipit. Itémque quoniam animaduertimus corpora quæ vita prædita sunt, animo indigere per omnes partes diffuso, vt animal ipsum toto corpore & quauis huius parte sentiat: hac etiam ratione animum diuiduum esse dicimus. Manifestum verò est quãlibet animalis partem sentire quandiu animum sentientem continet. Quare verè etiam dicimus virtutem illam diuisis membris diuidi: & quanuis ea cum omnibus communicetur, animum tamen in seipso non diuidi, sed in quolibet membro esse perfectum. [4] Si quis verò afferat animũ quidem secundum tactum diuiduum esse, at secundum alios sensus minime: dicendum est illum etiam diuiso tactu indiuiduum esse, sed hoc, sicut diximus, minus apparere. Consimili quoque ratione facultas altrix eáque in qua inest vis appetendi & fugiendi, per corpus totum diffusæ, minus inter se sunt diuisæ. Atque sunt hæ quidem cum sentiendi facultate coniunctæ: sed reliquis inferiores, & idcirco mi-

nus diuisæ. Siquidē minus in corpore distinctæ sunt. Quoniam functiones suas non exercent per instrumenta sedibus distincta. Alioqui neque in toto corpore actiones suas ederent. Vires igitur animi quædam sunt propriis instrumentis in corpore differentes, aliæ toti corpori communes.

SCHOLIA.

1 Animus peripateticis sua substantia simplex est, facultatibus multiplex. De quibus quædam corpori addictæ simul cum illo intereunt: aliæ cum corpore non communicantes, in eo separato manent. Vt colligi potest ex cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu. Ex Platonis verò sententia eundem sua substantia sicut & sedibus in quibus residet, esse multiplicem Galenus persuadere conatur libris de Placitis Hippocratis & Plat. & in fragmento libri de iis quæ medicè à Platone dicta sunt in Timæo. Quanquam de eo magistri mentem aliter interpretantur Platonici: vt à nobis obseruatum est Commentario in Institutionem Alcinoi ad Platonis doctrinam.

2 In partibus vel facultatibus animi prima secundum speciem distinctio fit in eas quæ constituunt res animatas specie differentes. Talésque tres ab Arist. numerantur libro 2. de Animo, alendi, sentiendi & ratiocinandi. Quoniam hę in ipsis rebus ita se habent, vt plantis insit sola vis alendi, belluis etiam altera quæ sentiēdi: in homine verò ad illas duas tertia accedat, ratiocinandi. Et quia de belluis quædam viuunt ac sentiunt, sed libero motu, qui animalis est, non mouentur: idcirco idem nonnūquam in illis primis facultatibus quartam numerat eam quæ mouendi loco: quòd per illam belluæ omnino separētur ab iis quæ ambiguæ vitæ esse dicuntur inter plantas & animalia. In iis verò quatuor quæ hoc loco proponuntur, imaginandi facultas ab altrice manifestam habet distinctionem: quòd illa animalium tantum sit, nec horum fortasse omnium: hæc verò communiter pertineat ad omnia viuentia quæ mortalia sunt. De concupiscibili & irascibili tam simplex explicatio afferri non potest: propter cupiditatis multiplicem significationem. Nam si eam cupiditatem intelligimus quæ est alimenti, & naturalis appellatur: cuius Plato in animi diuisione rationem habuisse videtur, lib. 4. de Rep. concupiscendi facultas cum altrice erit coniuncta. Si verò specialior cupiditas, quæ animalis dicitur, spectetur cum sensu coniuncta, aut sensum sequens, quemadmodum & apud Arist. cap. 2. lib. 2. de Animo, sub hac ita & sub concupiscibili facultate irascibilis continebitur. Quoniam ira quædam est vltionis cupiditas. Ex eóque idem Arist. cap. 10. lib. 3. de Animo, Platonem reprehendit, quòd in animo irascibilem facultatem à concupiscibili distingueret: sentiendi autem, intelligendi & deliberandi principia non separaret. Cum tria hæc magis à seinuicem distare, quam illa duo videantur.

3 Aliter tamē animus in perfectis animalibus & sanguineis quàm in exanguibus simul cum corpore diuisionem recipiet. Sanguineorum enim animalium partes omnes in ipso quidem animali coniunctæ sentiunt per spiritum qui in eas diffunditur: ab illo verò simul atque sunt separatæ, omnino sensus sunt expertes. At in exanguibus non modo partes singulæ in toto vnitæ, sed & à toto separatæ, & à seinuicem diuulsæ, adhuc sunt ad aliquod tempus sensus participes.

ticipes. Idque accidit quia in sanguineis animi sentientis sedes primaria, est in certa corporis parte, tanquam in officina ipsius spiritus: à qua reliquis sentiendi vis per eundem spiritum communicatur. In exanguibus nulla sedes est eiusmodi, sed sentiendi vis æquabiliter toto corpore fusa. Quare in illis partes ab eiusmodi sede separatæ sentiendi vim omnino amittunt: in aliis verò animalibus tandiu retinent, quandiu conseruant benignum quendam humorem sanguini proportione respondentem, quem habent pro animi sede. Ideóque Arist. cap. 5. lib. 3. de partibus animalium, scribit in sanguineis animum sentientem simplicem esse & vnum, non modo reipsa, sed & facultate: in exanguibus autem vnum quidem esse re, facultate verò multiplicem atque diuiduum.

4 Locus est obscurus. In quo significat inter tactum & reliquos sensus hoc interesse, quod tactus instrumentum per totum corpus diffusum sit: ea verò quæ reliquis quatuor sensibus subseruiunt, in certis corporis partibus sint posita. Ex quo accidit vt qualibet corporis parte tactilium qualitatum differentias sentiamus: colores verò oculo tantum, sonos auribus, sapores lingua, odores narium meatibus. Qua ratione sentiendi vis in homine magis cum ipso tactu diuidua videri potest, quàm cum aspectu vel auditu. Et tamen etiam in hoc sensu adhuc secundum substantiã omnino indiuiduus est animus: in quo ipsius tactus sicut & reliquorum sensuum principium.

Sensum communem cum spiritu animali coniunctum, re vnicum esse: diuersum tamen videri, pro diuersitate partium corporis, in quas spiritus influit: quoque modo sensum sequantur aliæ animi operationes, quæ cum corpore minus videntur cõmunicare.

Cap. 9.

1 *Vnica sentiendi virtus vnit omnium sensuum instrumenta, cum in ea per internuncios sensus proprios defluit, & horum obiecta percipit atque discernit. Illáque indiuidua est, neque tamen agit per vnicum instrumentum: propter magnam vim ipsius spiritus. Quare omnes sensus ad eandem terminantur, non aliter quàm* 2 *lineæ à circuli ambitu ad centrum, eáque omnia in quæ ipsi sensus feruntur simul & in temporis puncto cognoscit. Sensus enim qui proprius est, tantum discernit speciem obiecti, ad ipsam virtutem certam rationem habentis: vt Aspectus candorem & nigrorem cæteró́sque colores: Auditus sonum acu-*

tum, leuem, grauem, & tardum: Odoratus fœtorem & odores reliquos: Guſtatus dulcedinem & alias ſaporum differentias: Tactus aſperitatem & lenitatem. Vis autem ipſius ſpiritus ſenſibus communis, diſcernit ſenſilia & ſpecies ſingulorum, eáque ad phantaſticam facultatem, quæ imaginum eſt, refert. Hæc format eadem & pro arbitrio componit: deinde traducit ad memoriam: à qua illa ad vſum commodum conſeruantur. Rurſúmque cogitandi vis ad aliam affectionem defert, donec ad intellectum perferātur. Hæque omnes virtutes ſpirituū ſunt, atque per ſe functiones ſuas exercēt ſine inſtrumētis in corpore manifeſtis.

SCHOLIA.

1 Sentiendi vim primam, quæ attribuitur ſenſui communi, in nobis re vnicam eſſe oportere Ariſtoteles confirmat cap.2.lib.3. de Anima. Itémque Plato in Theæteto. Cuius cum inſtrumenta multa ſint ordinem quendam inter ſe habentia: primum quidem (ipſe ſcilicet ſpiritus qui animalis dicitur) re vnū eſt: ſed influit in diuerſa inſtrumenta ſecunda, per medios neruos, vt in oculos in linguā, in meatus aurium & narium: atque in iis cauſa eſt actionum differētium. Quemadmodum in muſicis ſpiritus vnus & idem reipſa ſuáque origine, inflans diſpares tibias, ſonos edit omnino differentes.

2 Sententia eadem eſt Ariſtotelis cap. vltimo lib.2. de Anima & ad finem lib. de Senſu. Ideóque vt centrum in circulo vnum & idem, ratione tam eſt multiplex quàm multæ ſunt lineæ quæ ab illo ducuntur: ſic ſenſus communis re vnus, varius eſſe videtur, pro diuerſitate functionum differentium, ad quas vtitur differentibus corporis inſtrumentis. Et quemadmodum magis differt color à ſono, quàm candor à nigrore: ita quoque ſenſus interioris functiones magis differentes ſunt quibus percipiuntur obiecta genere differentia, quàm quæ ad ea pertinent quæ ſunt eiuſdem generis.

De facultatibus animi quæ enumeratæ ſunt, quæritur vtrum in corpore ſedibus ſuis diſtinguantur: quóque modo animus totus in corpore eſſe dicatur.

Cap. 10.

Quærendum eſt an pro illis animi facultatibus quæ cōmemoratæ ſunt, ſedes in corpore ſint diſtinctæ. Nos quidē

dicimus virtutes animi in ea corporis parte cognoſci, in qua earum operationes apparent: & de illis quaſdam ſedibus indigere, non vt in illis ſint, ſed potius vt actiones quas edunt, in eis oſtendant tanquam in receptaculis accõmodatis. Ipſe verò animus ſuæ actioni corporis partem accommodat, eiúſque virtutes diuerſæ eſſe videntur tantùm pro conditione membrorum variè affectorum. Quanquam hæ non omnino diuerſæ ſunt, nec ex iis ille componitur, ſed natura ſua ſimplex eſt. Atque de eius virtutibus, quæ præſtantiores ſunt, hæ ab eadem ſine vlla intermiſſione in corporis partes influunt. [1] *Ex quo efficitur facultates eſſe animi non inſtrumentorum: immò verò quantò nobiliores ſunt, tantò magis animo potius quàm ipſis membris ineſſe videntur. Reuocata igitur oratione ad id quod primo loco fuerat inſtitutum, dicimus ſi nulla animi virtus propriam ſedem habet, futurum vt eius vis interior ab exteriore nulla re prorſus diſtinguatur: neque partem corporis qua mouemur diuerſam fore à ſentiente, per inſitam virtutem aliunde influentem. Quod omnino à ratione eſt alienum.*
[2] *Itémque ignorari erit neceſſe quibus inſtrumentis animi operationes ſint inſitæ. Si quis verò hoc reſpondeat, virtutes animi quaſdam ſuas ſedes habere in illis membris, in quibus earum operationes apparent: rurſus hoc opponemus, ſi ita conſtituatur fore, vt animus totus nobis non inſit, ſed eius pars aliqua extra nos maneat. Id verò probari nullo modo poteſt. Quare nudè hæc explicantes, aſſerimus nullam omnino animi partem in loco exiſtere: ſiue animus ipſe corpori inſit, ſiue non inſit. Quoniam locus ambit atque continet id cuius locus eſt, & quicquid*

loco continetur, corpus est. At neque animus ipse, neque eius facultas vlla, corpus est. Cùm verò dicimus eius quasdam vires certis membris inesse: non in illis tanquam in loco eas esse intelligimus: sed quia in eis illarum operationes apparent. [3] *Alier enim se habet corpus ad locum, quàm animus ad ipsum corpus. Siquidem hic corpus continet, non autem corpore continetur, cùm sit causa corporis. At si animus in corpore esset tanquam in loco, aliquãdo corpus sine animo existeret, hícque illud paulatim subiret, sicut aqua vasculum. Itémque locus non est in corpore, sed ipsum ambit, cum sit eiusdem conceptaculum:* [4] *estque amplior corpore, quandoquidem & illud continet. Corpus autem animum non ambit. Si verò fortasse quis arbitretur fieri nullo modo posse, vt animus in corpore sit aliter quàm vt in loco, contra opponemus locũ superficiem esse extremam, corpus ipsum ambientem. Ex quo efficietur animum in extrema tantum corporis superficie futurum: reliquum verò corpus animi expers. Quod rationi nullomodo est consentaneum. Amplius si animus sit in corpore tanquam in vase, corpus ipsi animo motum præstabit: quod à veritate omnino abhorret. Siquidem cõtra potius animus in corpore motus causa est. Atqui vas cum mouetur secum mouet rem eam quam continet. Corpore etiam intereunte, animum oporteret interire. Atqui ille à corpore separatus longe constantior & firmior efficitur.* [5] *Si quis verò adhuc opponat locum non esse superficiem extremam, sed ipsum interuallum: eo minus erit probabile animum in corpore tanquam in loco existere. Quoniam interuallum inane quiddam est: corpus autem*

inane non est, sed in inani. Quare si eo modo in corpore tãquam in loco animus existeret: fateri esset necesse, quod absurdum est, eum in inani existere. Nihilo verò magis animus in corpore esse dicitur, vt affectio in subiecto: verbi gratia color vel figura in corpore. Affectiones enim à subiecto separatæ non manent incorruptæ. Animus autem sine interitu à corpore separatus, eo etiam dissoluto, manet. Neque is interit corpore intereunte: quemadmodum pars simul cum toto dissoluitur. Quandoquidem ille corporis pars non est. Nec verò in corpore est, vt totum in parte. Quoniam omnino contra opinionem est animum totum corpúsque eius partem dicere. Neque illæ in corpore est vt forma in materia prima. [6] Quia forma sine interitu à materia prima separari non potest. Animum autem non esse eiusmodi ex eo intelligitur quod sine interitu à corpore separatur. Et materia prima formam antecedit: corpus verò posterius est animo, qui formam cum materia coniũgit, ex illísque corpus perficit. Itaque non est in corpore vt forma in materia prima. Nec vt agens in eo quod agitur eíque inhærens: alioqui etiam vicißim ab eodem afficeretur. Effectum est igitur animum nullo ex iis modis qui enumerati sunt, in corpore existere.

SCHOLIA.

1 Necessitate coacti circa locum hunc veterem interpretationem quam pro exemplari sequebamur, aliqua ex parte immutauimus. In ea enim ita legitur. Ob id vires, non sunt animæ instrumenta: sed & quanto sunt nobiliores, tanto magis sunt in ipsa anima tales quàm in ipsis membris. Ex quo cũ nullam sententiam possemus elicere quæ cum aliqua probabilitate posset retineri, paucis mutatis significari putauimus facultates, in quibus exercẽdis animus cum corpore communicat, non esse partibus corporis organicis attribuendas, sed animo. Quanquam si verè iudicamus & animi sunt & partium organicarum: sed animi vt causæ principis, partium organicarum, vt adiuuantium. Ex eóque

profecta distinctio facultatis in primam & secundam quæ ei respondet, quam actui Arist. attribuit cap.1.lib.2.de Anima. Prima enim facultas est in animi essentia, eáque par in omnibus animalibus quæ sunt eiusdem speciei: secunda, coniuncta est cum partibus organicis, à quarum varia cõstitutione illa recipit magnam inæqualitatem, etiam in iis quæ eadem specie ima continentur.

2 Vis alendi quia infima, inter animi facultates corpori maximè est addicta: ideóque à nonnullis soli calori, qui quidem ad corpus pertinet, attribuitur & à Galeno libro 1. de naturalibus facultatibus, nudæ simplicique naturæ. Supra hanc pars sentiens hoc habet diuinum, quod rerum in sensum cadentium formas incorporeas recipit per eásque sentit vel de corporibus obiectis iudicat. Id verò corporeis instrumentis attribui nullo modo potest, sicut Arist, significat cap.12.lib.2.de Animo. Amplius etiam idem apparet in facultate imaginādi quæ nullo instrumento externo indiget sed interno tantum, nempe ipso spiritu, cum quo etiam illa senectute marcescit: sicut & ratiocinandi vis: quatenus in suo principio cum imaginatione est cõiuncta, aut ea antecedente indiget. Quod Arist. significauit cap.4.lib.1.de Anima.

3 Hic etiam particulam vnam immutauimus cum in exemplari quod secuti sumus ita legeretur. Aliter se habet corpus ad locum quàm anima ad locum. Cum iis verò conuenit quod Arist. disputat cõtra Plat. lib.4. physic. locum potius habere rationem formæ quàm materiæ: quia ille continet: proprium autẽ formæ est materiam continere non ea cõtineri. Et quod idem scribit cap. vltimo lib. 1. de Animo, nonnulli quidem, inquit, animum in partes diuidunt, eúmque alia intelligere, alia appetere dicunt. Quid tandem est quod animum contineat, si ex partibus constet? non enim quidẽ certè corpus. Videtur enim contra potius corpus ab animo contineri.

4 Aut hoc intelligendum de loco communi quem Aristoteles in physicis fatetur reuera ampliorem esse contento corpore: aut si de proprio quoque idem dictum esse volumus, significabitur eum re quidem esse æqualẽ corpori quod est in loco, ratione verò esse ampliorem. Quia omne quod continet amplius est eo, quod continetur. Quod autem in altera quæstione tractatur, vtrum animus in corpore sit tanquam in vase, repeti debet ex eo quod idem scribit cap. 4. lib.4. physic. vas à loco hoc differre, quòd vas sua ratione moueatur cum re quam continet aut hanc secum deferat: locus verò minimè. Ideoque ille locũ definiunt extremitatem primam corporis ambientis, sua ratione immobilem.

5 Occupat quod ex Platone potuit opponi, locum non tam esse superficiem intimam corporis ambientis, quam eiusdem totum interuallum, ab interuallo rei contentæ sola ratione distinctum: sicque animum si forte in corpore tanquam in loco esse dicatur, non fore tantum in huius superficie, sed per omnes huius dimensiones, quæ interuallo continentur, extendi oportere. Quod ad ipsius animi naturam videri potuit magis accommodatum. Quid verò intersit inter Aristotelis & Platonis opinionem de loco atque in vtrâque quid probabile videri possit, à nobis dictum est commentario in lib.1. prioris nostræ descriptionis physicæ.

6 Locus hic arguit animum nonnihil differre ab iis formis quæ omnino naturales sunt, quæque sunt nudæ simplicesque naturæ. Illæ enim in agendo materiæ suæ omnino addictæ sunt, & ab eadem prorsus inseparabiles. Animus autem quãquã actus sit nonnihil cum suo corpore cõmunicans, aliquid tamẽ retinet ab eo separabile & separatum, in quo naturam communem excedit & superat. In hoc verò posita sunt fundamenta rationis eius quam Aristoteles in physicis vsurpat ad indicandum de animi immortalitate: per quæ maximè na-

turæ lumine de eadem quæstione statui potest. Et certe in vniuersitate, naturalis forma, quæ solum natura est, Intellectus & Animus, ita gradibus distinguuntur vt naturalis forma & intellectus rationem obtineant duorum extremorum: animus autem, medii ea quodammodo vincientis. Etenim naturalis forma tota est materiata: Intellectus omnino materiæ expers: Animus verò nonnihil cum eadem materia communicans, & tamen aliquid retinens ab eàdem separabile, vel potius separatum: in quorum priore ad naturales formas accedit: in posteriore autem intellectui adhuc quadam ex parte similis est: ad quem statim reuertitur cum è corpore excesserit, si modo vitæ integritatem in corpore seruauerit, hácque ad intellectum sibi reditum parauerit.



DE SECRETIORE parte diuinæ ſapientiæ, ſecundum Ægyptios, Ariſtotelis lib. 3.

INTERPRETE IACOBO CARPENTARIO, Claromontano Bellouaco.

Animum neque corpus eſſe, neque corporis qualitatem: quóque modo idem ſe habeat ad humores quibus è corpore omnino effluentibus, vita diſſoluitur.

Cap. 1.



VM [1] hactenus ea ſint abſoluta quæ antegreſſa eſſe oportuit de intellectu, de cōmuni animo, de ratiocinante, ſentiente, alente, necnon de naturis prout ordine quodam inter ſe conſtāt, per ea ſigna quæ philoſopho veritatem detegūt, alios autem ad eius inueſtigationem excitant: ſequitur vt eadem via atque ratione, animi eſſentiam explicemus, exordio ducto ab eorum opinione qui hunc exiſtimauerunt vel corpus eſſe quoddam, vel certam compoſitionē corporis, partiúmque in illo vnionem. Vtróſque redarguentes & eas fallacias quæ in eorum rationibus latent, detegētes. In quo recenſebimus ea omnia

quæ

quæ de eiusmodi opinionibus ad nos peruenerunt. Hoc igitur primum asserimus, operationes quæ in corpore existūt, proficisci ab ipsa virtute miro quodam modo agente: non à corpore. Idque ex eo apparere quod cum in omni corpore insint quantitas & qualitas, hæc tamen ab illa diuersa ex eo intelligatur quod omne corpus quātitatis esse particeps necesse sit (quod etiam illi confitentur) qualitatis verò minime. [2] Porro quî fieri potest vt qualitas corpus sit & eadem in sensum non cadat (præsertim cum omne corpus quantitati subiectum sit) non omnis verò qualitas sensui? Cum itaque ex iis efficiatur nullam qualitatem corpus esse, manifestum est errare eos qui animum corpus esse dicunt. [3] Quibus etiam adiicimus quod antea diximus, omne corpus de quo particula aliqua detrahitur, minui: qualitatē verò eandem remanere. Quoniam mellis libra vna cum altera quantitate mellis, dimidia, magnitudinē non habet parem, habet tamen parem dulcedinem. Si quis verò hoc nobis opponat aucta quantitate virtutē augeri, eadémque imminuta hanc quoque minui: contra contendemus nonnūquam paruo corpori potentem virtutem inesse. Ex quo apparet qualitatem ipsam siue virtutem, quantitatem non esse, eiúsque aliam rationem existere quam vel corporis vel vnionis corpusculorum, quæ non nisi ad materiam corpúsque pertinet: alioqui ne in ipsa quidem qualitate vis agendi esset posita. [4] In contrarium verò si quis afferat omnino exhausto sanguine atque spiritu animal interire, inquirátque cur si animi alia sit essentia à sanguine & spiritu, iis effluentibus animal extingui oporteat? respondebimus etiam si humores animali vitam non tribuant, animal ta-

F

men ad vitam humoribus indigere, hósque ad animal eam rationem habere quam animus ad corpus. Eosdem igitur ab animo regi & ad corporis formam accomodari. Quoniam cũ corpus dissolubile sit, nisi animus per humores repararet quod de illo effluit, diutius non posset consistere. Consumptis itaque elementis, quia perit materia ipsi animo ad corporis conseruationem necessaria, animal quoque interit. Quare in illis humoribus animalis materia est, animus autem causa efficiens. Hoc etiam amplius ex eo intelligitur quod animalia quædam carent sanguine, nonnulla etiam respiratione: quibus tamen animi natura inest. Quoniam non potest animal vllum sine animo existere. Præterea si animus corpus esset, diffundi hic per vniuersum corpus nullo modo posset, nec eius partes vnire. Itémque si ille corpus esset commixtum atque temperatum ex elementis, re ipsa non esset, sed tantum potestate, sicut & elemẽta: idémque interiret quemadmodum & ea quæ miscentur secundum substantiam intereunt, vt quando dulcedo cum amaritudine permiscetur. Ad hæc corpus quod cum altero permiscetur, illud ipsum maius efficit. Atqui animus cum in corpore est, eius quãtitatem nullo modo adauget, sed illa eadem manet. In aliis manifestum quoque est cum pars corporea à corpore seiungitur, reliquum corpus imminui: at corpus à quo animus separatus est, in tumorem augetur. Amplius cum corpus omne dissolubile sit, animus manet interitus & dissolutionis expers. Corpus igitur non est. Nec verò corpus vnum cum altero compositum hoc secundum omnem partem potest penetrare. [5] Animus autem in omnes corporis partes permeat. Corpúsque quodlibet in in-

finitum diuiduum est: animus non item. Atque cum ex eorum sententia qui arbitrantur animum esse corpus, agẽtia omnia sint etiam corporea: quæri potest an quoduis agens ortus sui principium habere possit. Quod si cõcedimus, erit necesse de agentibus vnum ex alio esse ortum, sicque in infinitum progressio est futura. Quod cum absurdum sit, fateri necesse est in agentibus aliquod esse primum, idémque perpetuum: quare & incorporeum. Ex quibus efficitur non omnia agentia esse corporea. Si verò agentia quædam sunt quæ neque ortus sui principium habuerint, neque finẽ sint habitura: in iis animos qui corpora informant haberi est necesse. Enimuero alii animũ esse corporeum ex eo opinati sunt, quod corporum actiones varias animaduerterent, vt calfactionem, refrigerationem eãdémque varietatem in miris animi functionibus viderent: nescientes corpora vi sua non agere, sed per eam quæ alia à corporis proprietate, illis est insita: aut etiam si corpora vi sua agere dicãtur, eorum tamen actiones, quales sunt calfactio & refrigeratio, nequaquã esse similes animi actionibus: in quibus numerantur cogitatio, contemplatio, appetitio, obseruatio iustitiæ. Vis enim talium actionum effectrix, alia sit necesse à substantia corporea. Quare huius sententiæ autores eas actiones corporibus ascripserũt quæ ad spiritus erãt referendæ: ipsósque spiritus in nobis otiosos reliquerunt. Quibus hoc etiam adiiciamus, si animus corporeus sit hic corpus permeans, percurret partes infinitas. Hoc verò falsum esse ex eo intelligitur quod partes re ipsa infinitæ esse nullo modo possunt: aut si ille non permeet omnes corporis partes, neque etiã per totum corpus diffundetur. Atqui

per totum corpus diffunditur cum huius causa sit: hócque nomine illo etiam maior. Neque verò per illud diffunditur, singulas partes diuidendo, cum sit corporis expers: sed ratione quadam meliore. Nec minus absurdum est dicere animum spiritum esse naturalem, refrigerantẽ, qui nascatur ex coniunctione elementorum per partium attenuationem. Quoniam in multis animalibus dominatur elementaris calor, quibus inest animus sine eiusmodi spiritu refrigerante.

SCHOLIA.

1 Acutissima disputatio de animo, hoc capite continetur: quæ valet ad intelligendum quid illæ non sit, potius quàm quid sit: quoque modo corpore organico vtatur, cuius est prima perfectio, etiam si corporeæ quantitatis omnino sit expers. Qui verò hæc attente considerauerit & Aristotele digna existimauerit, sicut mihi esse videntur, is facile concedet ex huius sententia omnem animi partem diuinitatis aliquid habere, quod corpore superius sit, etiã si in exercendo suo munere corpore indigeat, in quibusdam magis, in aliis verò minus. Porrò animum vel corpus esse, vel aliquid corporis, Galenus multis locis videtur existimasse, & si in hoc valde varius sit & inconstans. Hæc verò opinio á Socrate reprehensa est in Phædone.

2 Qualitates esse incorporeas, etiam si sint in corpore vt in subiecto, multis rationibus confirmatum est ab Alcinoo capite 9. institutionis ad doctrinã Platonis: ex eóque contra veteres conclusum, Deum qui quauis qualitate longe simplicior est, incorporeum esse oportere. Sententiam de qualitatibus corporeis Galenus attribuit Stoicis lib. 2. de naturalibus facultatibus & ex professo multis rationibus in eisdem exagitat vno libro in eam rem scripto qui extat inter Isagogicos. Omne autem corpus quantitatis particeps esse oportere, ex eo intelligi potest quod eius perfectio triplici dimensione definita est, nempe longitudine, latitudine & crassitudine, vt Arist. docet cap. 1. lib. 1. de Cælo. Hæc autem ad quantitatem pertinent. Quare quantitatis ratio maiore vinculo cum corpore est coniuncta quàm qualitatis. Quanquam non sine dubitatione est quod hoc loco scribit, non omne corpus qualitatis particeps esse oportere.

3 Sic dici solet á philosophis vnam ignis scintillam non minus esse calidam quam ignem maximum. Quoniam calefaciendi vis in igne proprietas est substantiæ. Quæ quia simul cum corpore eius diuidua est, omnibus particulis insit ex æquo est necesse. Et tamen ignis maximus per idem interuallum celerius & plenius calefaciet idem corpus obiectum quàm scintilla vna, propter multiplicatam substantiæ agentis quantitatem, non propter virtutis aut proprietatis in substantia factam intensionem. Quomodo docet Aristotel. cap. 6. lib. 1. de Cælo, leuitatem ignis & terræ grauitatem simul in corporis quantitate augeri vel minui, etiam si leuitas summa omnibus ignis partibus ex æquo

insit. Et lib. 2. de partibus animalium vult de duobus calidis eandem substantiam habentibus id esse altero calidius quod in maiore est quantitate.

4 Idem responderi potest Galeno quærenti cur dissoluta quatuor primarum qualitatum temperatione, hominem ægrotare, vel etiam interire oporteat: si animus alius est ab eiusmodi temperatione. Quanquam enim animus non est ipsa temperatio, tamen sine certa temperatione in corpore esse, aut agere nullo modo potest. Quemadmodum artifex alius est ab instrumentis, nec tamen sine iis potest secundum artem agere. In quo posita est distinctio primæ facultatis & secundæ quæ ex Aristot. cap. 1. lib. 2. de Animo, paulo ante cõmemorata.

5 Ideo Platonici, nonnulli, quos Galenus sequitur libris de placitis Hippoc. & Platonis, cum animum substantia diuiderent eiusque distinctas partes in distinctis corporis partibus, vt in propriis sedibus collocarent, spiritus esse volebant vehicula facultatum ab illis sedibus in reliquas corporis partes deferendarum. Ob eámque causam idem Galenus in eisdem libris, valde laborat vt doceat quomodo spiritus hic suapte natura corporeus, per neruos qui aut omnino aut magna ex parte solidi esse videntur temporis puncto facultatem sentiendi atque mouendi à sua sede, id est, à cerebro deferat in reliquas corporis partes. Quod tamen ab aliis Platonicis non est approbatum, vt à nobis pluribus explicabitur commentario in Alcinoum. Quanquam cum hoc loco dicitur Animum in omnes corporis partes permeare, id de eius substantia nõ de sola facultate est intelligendum. Vt significari videatur quod nonnulli Aristoteli attribuunt, animum totum esse in tota re animata & totum in qualibet animatæ rei parte. Quod tamen in huius doctrina non sine dubitatione est: de qua eodem Commentario in Alcinoum à nobis disputabitur.

Quem ordinem in vniuersitate animus obtineat, quóque modo ad ea quæ superiora sunt & inferiora se habeat: quid Deus præstet causis omnibus quibus est superior.

Cap. 2.

Si qui dixerint naturam animo esse priorem huncque ex naturarum differentium permixtione exoriri, consequetur, quod sapientum sententiæ maximè aduersatur, nobilius ignobiliore esse posterius. Etenim in iis quæ procreata sunt, intellectus primus est: hũc sequitur animus animúmque natura: [1] *in quo ordine quod inferius est, idem quoque ignobilius: sicut quod superius, idem appetendum magis, quia nobilius atque communius. Si qui etiam affirmauerint intellectum animo esse posteriorem, eadem ratione fateri cogentur summum rerum opificem non modo intel-*

lectu esse posteriorem, sed & ortui interituique obnoxium. Quod certe falsissimum est, neque talis rerum ordo constituendus. Alioqui neque animus existeret, neque intellectus, neque quicquam eorum quæ sunt. Quare dicimus intellectum à Deo primum esse procreatum: huncque rebus aliis procreandis esse præfectum. Procreauit autem intellectum Deus opifex per medium verbum. Quoniam inter illum & intellectum, medium aliud nullum intercessit, quod cũ intellectu coefficiendi vim haberet. Intellectus animi causa extitit, animúsque ipsius naturæ. Natura denique principium rerum singularum quæ oriuntur: harum vna ad alteram medij rationem obtinente. Deus verò causarum omnium author est: vt pote qui eas ex nihilo procreauit, intellectúque vt communi forma conclusit: quas postea protemporis occasione educeret, aliquando per medium, secundum cuiúsque conditionem & ordinem: nisi quod vna est alterius interiecta causa. Deus igitur omnibus causis hoc præstat vt & sint & ex se res alias procreent. Tãtúmque in procreando hoc differunt quòd ipse alicuius causæ author est, sine vlla alia interiecta.

SCHOLIA.

1 Animum intelligit vnum communem, qui sub prima mente vel sub primo intellectu, per omnes vniuersi partes diffunditur, in eisque vitæ principium est & causa. Naturam verò, rebus singulis insitum principium, cuius vi mouentur & quiescunt. Sic enim definita est, lib. 2. physi. Atque hoc modo animũ natura priorem esse ait: vt & mentem siue intellectum animo, Deum mente. Qui ordo apud Platonicos celeberrimus est, & à nobis pluribus expositus commetario in Alcinoi Institutionem ad doctrinam Platonis. Vt si ista Aristotelis esse concedantur, hic Platonis in philosophando diuinitatem adæquasse ne dicam etiam superasse, ex iis facile videatur.

Ex ordine potestatis ad actum, colligitur Deū esse, cuius vi potestas in actum suum educitur: ipse verò actus purissimus est, eóque inter omnia quæ sunt, solus perfectionem summam adeptus.

Cap. 3.

1 *Deum esse, hæc demonstratio inter omnes maximè videtur efficere. Quod nihil in potestate sit quin aliud antecedat quod actu existat. Alioqui ne ipsa quidem potestas in actum suum educeretur: cum illa aliud non sit quàm ad actum quædam facultas: nec poßit sua vi in actum exire. Non enim rationi consentaneum est aliud à se ipso, vt ab agente, existere: præsertim cum agens omne ea re prius habeatur quam sua vi efficit, falsúmque sit idē se ipso in vna eadémque ratione, prius esse ac posterius. Itaque si potestas in actum educitur, necesse est actum quẽdam purum existere: quòd hic nihil habere poßit à quo in actum excitetur. Eiusmodi verò est Ens necessarium, perpetuum, quod in aliam substantiam abire nullo modo potest, neque imminui, neque vllis affectionibus commutari. A quo actiones omnes manant & cuius nutu potestas omnis in actum excitatur. Ipsum quoque incommutabile: quoniam ab alio procreari non potuit. Id verò illi accidit quia suapte natura in actu perpetuo est eodémque necessario. Imo id ipsum est quod verè est, vel potius supra id quod est. Atque idcirco ratio eorum quæ sunt, ab illo pendet in eodémque cōseruatur & ad illud reuocatur. Adeo vt ne cogitatione quidem fingi poßit hoc in aliqua potestate existere: alioqui altero indigeret, cuius vi in actum excitaretur. Contra verò: omnia quæ ab illo diuersa sunt prîus in potestate esse in-*

telligũtur quàm in actu. [1] *Quoniam priuatio antecedit id quod est: sicut & potestas necessitatem. Minui autem nullo modo potest, quia ens est numeris omnibus absolutum: nec ei cum rebus aliis vlla naturæ communio intercedit. Ens est prius quolibet proximo, cum sit omnium opifex & moderator. Est etiam ens necessarium: si quidem eo ipso describitur. Cognoscit omnia preterita, præsentia, atque futura sub vna ratione, immotus. Quoniam hæc omnia cognoscit vt eorundem opifex: ab aliis autem cognoscuntur: vt ab eisdem videntur. Atque se ipsum contemplans, non externum quiddam, alia de potestate in actum excitat, semper tamen commutationis expers. Quoniam actus summus est, idémque purissimus. Quod autem ab illo procreatum est, non quiescit. Quia interire potest & ad priorem potestatem reuocari. Idque, quoniam aliquando ortum est, ea conditione teneri est necesse. Quod verò actu est, nobilius est eo quod in potestate spectatur. Actu enim est, cum antea esset potestate. Quódque potestate est, verè non est, & si communione entis appellatione nonnunquam esse dicatur. Effectum itaque est actum potestate esse meliorem atque communiorem, eundémque à natura corporea hoc ipso differre, quod in aliam mutari nullo modo potest. Itémque intellectum sicut & animum, naturâ esse priorem. Quoniam in ipsa natura, tam intellectus, quàm animi effectus quidam elucet.*

SCHOLIA.

1 Aliis rationibus Platonici colligunt Deum esse in quibus hæc prima obseruata est ab Alcinoo cap. 9. Institutionis ad doctrinam Platonis. Quod vt in sensilibus quædam prima sunt, sic in intelligibilibus oporteat esse quoddam omnino primum, quod cæteris præster vt intelligant & intelligantur. Deinde ab

eodem adiectum, quod cum hoc loco magis coniunctum esse videtur, vt est aliquid omnino patibile, sic aliud esse oportere quod omnino agat, nec vlla ex parte patibile sit: talem verò esse actum purum, expertem omnis potestatis quę ad patiendum pertinet. Ideóque à nonnullis Deus ex altera parte opponitur materiæ primæ: quæ suapte natura potestas est omnis actus expers. Formæ verò naturales mediæ esse dicuntur inter huius stolidam potestatem & illius purissimum actum. De quo à nobis multa disputata sunt pro Arist. contra Thessalū Methodicum Commentario in Alcinoum, in digressione de Deo.

2 Locus hic significationem aliquam habere videtur doctrinæ Peripateticæ. Sic enim Arist. lib. 1. physic. in principiis priuationem numerat vt efficientem causam internam mutationis eius quæ cadit in materiam in prima rerum naturalium origine. In eadémque suum inuentum multis verbis commendat: quod primus hanc potuerit à materia sua ratione distinguere. In quo animaduertendum est quid intersit inter priuationem hanc & eam quæ in Logicis habitui opponitur. Hæc enim in materia antecedit eam formam cuius absentiam cum apritudine ad eandem significat: illa verò logica suo habitu posterior est.

Formarum in vniuersitate ordo explicatur. De quibus quædam cum materia coniunctæ sunt, aliæ ab ea separatæ. Deinde ostenditur quo modo illæ omnes suis gradibus ad Deum referantur, ab eodémque in agendo differant.

Cap. 4.

1 *Præter hæc, cognoscendum quoque est animum actu existere ab intellectu profectum: ipsúmque etiam intellectum actu esse, vt à primo principio est procreatus. Hic verò animo formam dat atque virtutem quam à primo principio recepit: illo scilicet huic inserente vniuersitatem rerum earum quæ produci possunt.* 2 *Porro animus agit tantum circa materiam primam per mediam naturam cælestem, quæ honore digna est: Intellectus autem circa animum, sine medio. At idem circa ipsam naturam agit per medium animum. Animus enim causa est formæ in materia prima, sicut ipse intellectus, formæ in animo.* 3 *Omnes verò formæ à summo principio in intellectum sunt congestæ eidémque insitæ, atque cum illo procreatæ. Amplius, intellectus formas in animo conseruat & animus easdem in*

materia prima. Harum enim tum intellectus tum animus causa est. Supremus autem eorum author Ens est, Bonum absolutum verúmque. Qui rebus ipsis dat vt sint, harum formas innouans, &, quoniam omnino actu est, omnia secundum essentiam procreans: quædam tamen nulla alia media causa interueniente, alia per aliquam intermediam. Vtque actus verus est & absolutus, omnia secundum essentiam suam contemplatur & in puncto perficit. Intellectus autem cum actu sit, habeátque superiorem actum alium: ab hoc excipit vim immissam: ideóque in suo opere permanet: vt similis efficiatur agenti: qui actus est absolutus, id est, vera essentia. Idémque aliquid contemplans, superiorem illum actum intuetur, perfectámque actionem edit: quia agit per vim ab illo immissam, quasi in hoc ille ipse agat. Nec dissimili ratione animus quia ad agendum vim quandam ab intellectu profectam recipit, illum imitatur, in quem intentus agit, per eundémque in res alias influit. Est enim verùm agens, actus absolutus, essentia ac sapientia perfectissima: illudque se ipsum contemplãs agit. Quia aliud ab illo nihil est, quod non ab eodem acceperit sui ortus principium. Hoc solum per se est, omniáque procreat, procreata regit, atque conseruat ea quæ suapte natura sunt constantia: eadémque à se mouet & ad se reuocat. Hactenus igitur probatum est intellectum animo esse priorem animúmque ipsa natura. Hanc verò priorem rebus omnibus quæ oriuntur & intereunt. Denique omnium opificem priorem esse omnibus & cuiuslibet agentis actionisque principium. Qui primo procreat, tandem perficit: in eodem tamen puncto inchoat, confirmat, absoluit. Pro-

creauitque vniuersa nulla alia causa excitante vel præcipiente. Cúmque cætera agentia operando ad aliud se referant, consequens est hunc solum veri agentis rationem obtinere.

SCHOLIA.

1 In mouentibus numerantur hæc, Deus, Intellectus, Animus, natura. In quibus Deus supremus & actus purissimus, natura infima & materiæ impuræ in mouendo semper addicta: intellectus & animus mediam quandam rationem obtinēt. Nam intellectus Deo proximus nonnihil cum animo communicat. Animus verò quanquam in suis motibus organico corpore indigeat, nonnullos tamen excitat in quibus ipso corpore longe superior est. Quæ omnia cum Platonica doctrina maximè consentiunt.

2 Animum mundi intelligit non eum qui singulos homines constituit, mouet & regit. Hic enim non est tantum circa materiam primam occupatus, sed suam habet propriam, cum qua certis vinculis connectitur. Ille verò per mediam cælestem naturam circa materiam primam omnibus communem, agere dicitur: quemadmodum is qui in homine est, hunc regit per medias qualitates quæ de corpore exoriuntur actionúmque organicæ sunt causæ.

3 Hic locus, si Aristotelis est, manifestè confirmat naturales formas non excitari de materiæ potestate (quod plerique in eius doctrina arbitrantur) sed omnes cælestem habere originem. De quo abunde satis à nobis disputatum est Comment. in lib. 1. prioris descriptionis physicæ.

Animus quo modo actu sit, & tamen aliqua ex parte potestatis etiam particeps: quóque à corporis compositione & harmonia differat, contra nonnullos Pythagoreos.

Cap. 5.

Nunc ad institutum reuersi constituimus animum quoniam actu est, potestate non esse: nisi id in hanc partem dictum cogitatione complectimur quod illa, vt antea propositum est, procreatus sit, omniáque procreata aliquid actus habeant & potestatis: [1] quódque in iis Ens actu quadam ex parte imminutum sit. Deus verò ipse principiū rei quæ ex potestate in suum actum potest excitari. Neque tamen intellectus vel animus in potestate & actu esse dicuntur

quòd in tempore procreentur eorúmque vnum alteri succedat, sicut in iis corporibus accidit quæ possunt oriri & interire. Quoniam illa permanẽt sempiternáque sunt. Qua etiam ratione efficitur animum nec spiritum esse, nec corpus vllum, quemadmodum etiam superioribus rationibus est confirmatum. De quo quanquam contraria sit nonnullorum opinio, in illis tamẽ quæ nuper à nobis scripta sunt, acquiescamus. Si quis verò amplius dixerit animum esse aliquid præter naturam corporum, hoc iam quale sit exploremus & quæ sit eiusmodi corporis compositio, qua nõnulli in describenda animi natura sunt vsi. Quidam Pythagorei existimauerunt compositionem hanc cytharæ esse similem: [1] quod quemadmodum si huius cordæ aptè & secundum rationem intendantur, concentum excitant cytharedo pulsante: sic humoribus conuenienter inter se temperatis, exoriatur totius corporis perfecta constitutio, per quam animi natura explicatur. Quorum oratio ea continet quæ fieri nullo modo possunt. In hac verò quanquam quæ pro argumentis afferũtur firma appareant atque euidentia: ea tamen hic rationibus explicari possunt atque abunde redargui. Etenim animus (quod etiam illi admittebant) prior est corporis compositione: si quidem hãc ipse sibi accõmodauit. Atque idem corpori imperat in multísque eam ad agendum propensionem reprimit quæ ex corpore enascitur. Atqui ipsa compositio neque corpori imperare potest, neque propensionem ad agendum ex illo profectã impedire. Et animus substantia est: compositio verò minimè: sed hæc humoribus inter se temperatis accidit. Itemque ad corporis compositionem optimam necessario cõsequun-

tur sanitas & indolentia: hæc verò non est necesse cũ optima constitutione animi consistere. [3] *Porro si animus ipse compositio esset, vt partium variarum variæ compositiones sunt, ita esset necesse in eodem corpore varios animos existere. Quod valde absurdum est. Amplius si animus esset corporis compositio, quoniam partium in corpore conformatio ab animo est hic, à se ipse existeret.* [4] *At partes non à se ipsæ sed ab alio priore conformationem capiũt: quemadmodum neque cordarum compositio, quam cõcentus sequitur, ab ipsis cordis est, sed à musico. Quod in illis ignobilioris naturæ est argumentum. Consimili etiam ratione si animus est corporis compositio, cum hæc à corpore initiũ habeat, efficietur animum non ab animo, sed ab alio initiũ accipere & interea quæ sunt pro sola comparationis varietate alia aliis priora existere. At forma non sine animo formatore producitur. Alioqui fortuito existeret. Quod neque in singulis rebus, neque in vniuersis fieri vllo modo potest. Ex quibus efficitur animum à corporis compositione esse diuersum.*

SCHOLIA.

1 Locus hic in interprete quem sequuti sumus est eiusmodi vt ex eo vix vlla sententia possit elici. Videtur autẽ significare voluisse omnia quæ procreata sunt hoc ipso quod procreata, quadã ex parte imperfecta censeri debere. Quia initium habent, siue temporis, siue rationis tantum. Ante verò initium eiusmodi erant tantum in potestate, nondum actu. Potestas autem omnis cum suo actu comparata imperfectionem quandam continet.

2 Hæc opinio nimium Galeno placuisse videtur cum aliis locis multis, tum maximè in fragmento libri de substantia naturalium facultatum. De qua verendum est ne etiam hoc tempore nimium multos assertores habeat. Contra hanc verò variis rationibus disputatum à Socrate apud Platonem in Phedone & ab Arist. cap. 4. lib. 1. de Animo quæ cum hoc loco sunt conferendæ. Cicero prima Tuscul. huius authorem facit Aristoxenum musicum, quam Plato eodẽ Dialogo tribuit Simiæ.

3 Idem argumentum est apud Arist. cap. 4. lib. 1. de Animo. Illud absurdum

est,inquit, animum esse rationem modùmque temperationis.Neque enim eãdem häbet rationem elementorum permixtio qua caro & qua os temperatum est. Sic igitur fiet vt multi sint animi in toto corpore cõfusi:siquidem omnia ex elementorum confusione constant,& confusionis ratio, concentus atque animus esse ponatur.

4 Loco hoc nonnihil immutatum est de iis quæ sunt apud interpretem quem sequimur.Is enim totam rationem hanc sic expressit. Anima si foret compositio corporis, fieret à se ipsa. Nam compositio partium corporis fit ab anima non à se ipsis: cum fiat ab aliquo priori. Sicut etiam compositio cordarũ quã sequitur concentus organi musici,non fit à se ipsa sed à musico. Cordæ siquidem componuntur, non autem se componunt: quæ est operatio ignobilis. In quo immutando quid simus consequuti lector iudicabit.

Vt intelligatur quo modo animus ad corpus se habeat, assumitur eius definitio ex 1. cap. lib. 2. de Animo: cuius partes singulæ explicantur.

Cap. 6.

1 *Si quis verò hoc obiiciat veteres philosophos vno consensu probauisse animum actum esse corporis naturalis instrumẽtis præditi, actúmque substantiã esse non posse,quia huic inhæret, atque ex hoc effici arbitretur animum substantiam non esse: exactius nobis erit huius rationis vis expendenda. Actum hunc quidam Attici alio nomine Entelechiam appellauerunt: iidémque philosophi affirmarunt animum ad corpus certam rationem obtinere,nempe eam quam habet forma ad materiam quæ corporis naturam suscepit. Nisi quod animus, absolutè corporis forma non est, sed eius quod naturale dicitur instrumentísque præditum est & vitæ potestatem habet. Atqui antea confirmauimus actum corporis substantiam esse,non accidens. Distinguendi verò gratia additum (corporis naturalis) vt ab eo separetur quod arte constat: quale est quod pingitur. Itémque,potestatem vitæ habentis, vt ab inanimis distinguatur: qualia sunt lapis, ferrum,quæque sunt eiusmodi.*

Hæc enim quanquam naturalia corpora ſint, vitæ tamen poteſtatem non habent. Præditum etiam inſtrumentis iis dicitur quæ pertinent ad obeunda munera vitæ: qualia ſunt Cerebrum, Cor & Iecur, quæ in principibus partibus habentur. [2] *Actus autem duplex eſt.* [3] *Quidam qui ſeparari poteſt ab eo cuius actus eſt, vt nauta à naue, eques ab equo: alius qui ſeparari non poteſt, vt calor ab igne, frigus à niue. De quibus is qui ſeparari poteſt, intereũte ſubiecto non interit: alius verò ſimul cum ſubiecto perit. Animus igitur corporis naturalis actus eſt, qui ſeparari poteſt. Non enim hic corpore intereunte interit, ſicut eſt declaratum. Rurſus actus quidam perfectio eſt materiæ eius per quam in rerum natura exiſtit, vt caliditas, ignis: alius in altero perfectionis eſt principium & cauſa, quomodo architectus ipſius domus actus eſt. Animúſque actus eſt corporis naturalis non quod eius ſit perfectio quædam quieſcens, ſed quia in eo perfectionis eſt cauſa: nempe ſenſus, intelligentiæ, phantaſiæ, & cæterorum quæ ſunt eiuſmodi. Corpus enim prius quàm animetur, imperfectum eſt, neque tamen animus corporea quædam eſt perfectio: alioquì ſimul cum corpore diuideretur: quemadmodum figura ſtatuæ, ſimul cum ſtatua.*

SCHOLIA.

1 Ariſt. cap. 1. lib. 2. de Animo, vbi hanc definitionem vſurpat, oſtendit formã eſſentiæ, cuiuſque corporis naturalis actum eſſe primum, vel perfectioné primam, aut potius eſſentiam perfectionis primæ in vnoquoque corpore cauſam in ſe habentem. Ex quo Hermolaus Barbarus in interpretatione Themiſtij Entelechiam nouo vocabulo perfectihabiam dicere auſus eſt. Quid verò ſit corpus poteſtatem vitæ habens, quoque modo etiam ſi actu viuat, actum tamen vitæ ab animo habere dicatur, ſolam verò poteſtatem à ſe, abundè à nobis contra nonnullorum opinionem diſputatum eſt cap. 1. lib. 4. prioris deſcriptionis Phyſicæ.

2 Platonicum hoc magis videri potest quam Aristotelicum. Quoniam apud Platonem tres principes animi facultates his tribus sedibus sunt distinctæ. At apud Aristot. is te vnus, in solo corde primam sedem habet. Neque in huius doctrina cerebrum principis partis rationem habet, sed tantum cordi subseruit: ad cuius ardorem temperaudum dicitur à natura datum cap. 7. lib. 2. de partibus animalium.

3 Obseruanda est hæc actus distinctio & in ea definitum quod Aristor. dubiũ reliquerat cap. 1. lib. 2. de Animo. Ac illud quidem non est dubium, inquit, quin animus non sit à corpore separabilis, aut aliquæ eius partes, si ex partibus constet. Quarundam enim partium eius perfectio est. Nihil autem prohibet aliquas esse separabiles propterea quod nullius certi corporis actus perfectionésque sunt. Sed illud perspicuum non est sit ne animus ita corporis perfectio, vt nauta nauigij.

Animum humanum ostendit actum esse siue perfectionem à corpore separabilem: quia in multis cum corpore non cõmunicat: Et quo modo is se habeat ad rerum omnium intelligibilium formas.

Cap. 7.

Neque verò animus vnius partis perfectio est vt aspectus oculi: quia in ipsis partibus id agit in quo posita est singularum perfectio: nec perfectione hac pereunte animum interire est necesse. Sed actus est qui separari potest ab eo cui inest. Neque verò mortalis est, quoniam operationes habet non communicantes cum instrumentis corporeis, imo plerunque his aduersantes, quales in rectis moribus apparet: & sine vllo medio interiecto omnes eiusdem corporis partes discernit. Idem quoque, purus res corporis expertes contemplans, actiones edit in quibus nullis instrumentis indiget. Itaque salua manet huius essentia dissoluto corpore: alioqui actiones haberet sua essentia nobiliores. Quod absurdum esse ex eo intelligitur quod essentia causa actionis est: effectus verò causa efficiente melior esse non potest. Alioqui si vt ille naturalis formæ rationem habet, separari non potest, quo modo in somno sine distractione à corpore, exci-

re, excitatur ad suscipienda vaticinia rerumque futurarum prænotionem? Quod etiam nonnunquam inter vigilandum accidit cum ille semotis iis affectionibus quæ ad materiam pertinent, ad se reuertitur. Sed hoc noctu multo magis apparet propter sensuum quietem functionúmque in illis intermißionem. Præterea si animus perfectio esset corporis, hoc ipso quod corpus est, ille nunquam corpus cōtra naturæ suæ impetum moueret: nec rerum vllam cognitionem haberet. Qui quamuis sensilia discernat, non tamen idcirco sensibus similis efficitur: si quidem etiam dissimilia cognoscit atque ex naturæ ordine sensus ipsi eorum quæ obiiciuntur, imagines recipiunt, per has verò animus res ipsas discernit. Nec ea contemplaretur quæ corporis expertia sunt si forma esset corpori addicta: nec si naturalis esset perfectio, per appetitionem ad contraria moueret. Porrò si animus vt sit, corpore indiget, vicißimque corpus animo, propter quandam communionem qualis inter partem partisque facultatem intercedit: horum vnum alteri non aduersabitur. At in multis obseruatū est animum rerum variarum scientia exornatum & supra corporeas appetitiones excitatum, corpori esse aduersatum. Quanquam idem optimis moribus instructus hos cum corpore communicat: quibus domicilium suum perficiens, hoc omni damno liberat consequitúrque vt nec ipsum deprauetur, nec ipsius animi parenti odiosum sit. Qua etiam ratione hic corporis perfectio esse dicitur. [2] Adde quod virtus corporis ab anno ætatis quadragesimo minuitur: animi verò vis adhuc augetur. Neque ille hominis perfectio: naturalis dici potest: sicut is qui belluis inest. Quoniam belluæ

ſolo naturæ impetu ſine vlla ſcientia, reguntur: homines non item. Alioqui hi in diſciplinas non incumberent. Atqui doctrina inſtituti & exculti ab animo diriguntur qui prius quidem erat informis, ſed tamen eiuſmodi vt doctrina poſſet informari. Amplius ſi eſſet hominis perfectio ſicut animus belluæ, non poſſet homo ab altera ſubſtantia gubernari: neque ei pareret nihilóque magis quam ipſæ belluæ formas eas inquireret quæ à corpore ſunt ſeparatæ, aut in harum contemplationem incumberet. [3] *Porrò vt aër recepturus omnes colorum differentias illis ſuapte natura caret (non enim ſi certo colore eſſet imbutus, alios poſſit recipere) itémque aqua atque etiam oculus ſi certum colorem haberet alios non poſſet perſpicere: quod de auditu, odoratu reliquisque ſenſibus eodem modo iudicandum: ſic animus humanus cum omnes rerum corporatarum formas recipere poßit & diſcernere, vna ex illis eſſe nullo modo poteſt. Neque verò hic rerum corporatarum formas ſub ratione communi atque confuſa cognoſcit, vt is qui belluis ineſt, ſed ſpeciatim diſcernit diſtinctéque comprehendit ſecundum rationem cuique propriam, vt colorem & odorem.* [4] *Quare abunde ſatis probatum eſt animum humanum non eſſe naturalem formam qualis eſt qui in belluis: eóque potiſsimum nomine: quod ſi eiuſmodi ſit eundem corpori obſequi erit neceſſe: nec vlla in parte huius motibus aut propenſionibus quas ipſa contagio parit, poterit aduerſari: nec illi imperare. Adde quod ſi corpori vlla fieret impreßio huic ſimilem aliquam in animo gigni oporteret: nec ipſe homo quicquam haberet ſenſu nobilius. Quandoquidem actus cum corpore coniuncti*

conditio, sensum non superat, neque vis cogitandi aut deliberandi quæ in eo est posita vt incognitum ex præcognito colligatur, corpori est addicta. [5] *Quod cum animaduerterent hi qui opinati sunt animum esse corporeum, fateri sunt coacti ab eo alium quendam esse aliúmque intellectum immortalem: huncque actum esse, non vt perfectionem corporis naturalis patibilis, sed vt causam effectricem perfectionis. Qui animus vnus sit idémque receptus, dicatur actus corporis naturalis instrumentis præditi & potestate vitam habentis. Nos autem statuimus non esse animum alterum qui hominem regat, superiorem eo in quo rationis est principium. Quem physici actum appellãt, quia naturale corpus perficit.*

SCHOLIA.

1 Innititur author hic ad probandam animi immortalitatem eisdem fundamentis quæ ab Aristot. posita sunt cap. 1. lib. 1. de animo & pluribus locis ab eodem repetita. Quorum quæ vis esset in natura pluribus exposuimus Commẽt. in Alcinoum & lib. 4. prioris nostræ descriptionis physicæ. Quanquam hic vt Metaphysicus de separatione & immortalitate animi loquitur apertius & diuinius quàm in physicis.

2 Vigent enim in nobis ab anno ætais quadragesimo ad sexagesimum consilium & prudentia. Quæ nisi excellerent in senibus, nunquam maiores nostri (vt Cicero ait in Catone) supremum consilium à senio appellauissent senatũ. At post annum sexagesimum vt plurimum intelligendi vis & contemplandi marcescit. Quia vt Aristot. ait cap. 4. lib. 1. de Animo, aliquid intrinsecus interit: ipsa verò mens nihil patitur. Ex quo nascitur quæstio quam idem tractat in Politicis, An reipub. vtile sit perpetuos esse magistratus: num potius verendùm ne illa tandem incidat in delirantes senes.

3 Eadem ratio apud Aristot. cap. 4. lib. 3. de Animo. Impatibilis mens sit necesse est, inquit, eámque vim habeat vt & species rerũ recipere & talis esse possit: non autem vt sit ipse res. Quanquam rationem habet ad res quæ sensum mouent ea pars animi quæ sensus est particeps, eandem ad ea quæ intelligentia cernuntur, ipsa habeat. Sit igitur necesse est, quoniam omnia intelligit, omnis concretionis & admixtionis expers: vt quemadmodum ait Anaxagoras in omnia suum quoddam dominium habeat, idest, vt notiones rerum percipiat.

4 Id est, quod Aristot. indicat cap. 1. lib. 1. de partibus animalium, nõ esse physici de omni animo disputare: quoniam nõ omnis eius pars natura est, & quod

addit cap.3.lib.2.de animalium ortu, solam mentem extrinsecus aduenire: quia huius actio non communicat cum corpore.

5 Si opus hoc Aristotelis esse constaret, valeret locus hic contra Auerroem & Themistium, qui existimant ab illo in Physicis positam vnicam mentem cōmunem, immortalem, sua substantia externam: quæ nostro intellectui patibili atque mortali, intelligendi actum præstet. Quorum opinio à nobis examinata est commentatio in Alcinoum in digressione de animi immortalitate.



DE SECRETIORE parte diuinæ ſapientiæ, ſecundum Ægyptios,

Ariſtotelis lib. 4.

INTERPRETE IACOBO CARPENTARIO, Claromontano Bellouaco.

Oſtendit quo modo philoſopho à corporeis ad ea aſcendendum ſit quæ corporis ſunt expertia. In iis verò obiter indicat quæ dignitas intelligibilis mundi, & qua ratione hic ſe habeat ad reliqua quæ naturæ vniuerſitate continentur.

Cap. I.



VI [1] ſuperato corpore, ſenſus compoſuit motúſque cum materia cõiunctos, atque phantaſia puriore facta, reuerſus eſt ad ſubſtantiam intellectus, hic agnoſcet dignitatem ſuam: quæ conſiſtit in confirmatis viribus ad contemplandum [2] mundum intelligibilem, pro huius excellentia ideáque ſuprema, quæ lumen eſt luminum reliquorum, bonum bonorum, dignitas dignitatũ, atque eſſentia eorũ quæ ſunt, vel potius idipſum quod eſt: extra quod nihil omnino eſt. Quódque ſui ipſius deſiderio fruitur, atque principium eſt cuius vi omnia ſunt & conſtant: Idémque appetendum, ad quod omnia quæ appe-

tunt, sua sponte feruntur, naturæ quadam proprietate, quæ consistit in forma per alterius imitationem expressa. Per illum verò motum eadem existunt: quemadmodum per impressionem essentiæ in alio receptam procreatur. Iam enim alio loco à nobis probatum est substantiam naturalem per naturam propriam existere: huiúsque cõfirmationẽ in forma esse positam, formæ verò vim in exemplaris causæ imitatione. [3] *Quare omnia illud appetunt, appetendo ad idẽ mouentur: mota ab illo procreantur. Illud verò moueri nullo modo potest, mouet tamen omnia, eo motu cuius vi eadem existunt: donec perueniant ad motorem vnum, quo superior nullus est alius. Ex quo etiam hic primus opifex omnibus est principium essentiæ atque constantiæ: sine quo nihil in rerum natura consistit.*

SCHOLIA.

1 Motus cum materia coniuncti, perturbationes sunt quæ exoriuntur de parte animi inferiore. Hi verò componuntur per virtutes morum, quas idcirco Platonici purgantes appellant. Repurgatur autem ipsa phantasia, dum animus exercetur in Mathematicis à motu & sensu vi cogitationis abstrahendis: Quibus duobus quasi duabus alis, animus ad diuinorum contemplationem erigitur. In quam sententiam dictum est à poeta, quod alio loco obseruauimus,

Igneus est ollis vigor & cælestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant
Terreníque hebetant artus moribundáque membra.
Hinc metuunt cupiúntque, dolent gaudéntque, nèc auras
Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco.

2 Intelligibilis mundus Platonicis est idea idearum omnium: quia in se continet exemplares causas eorum omnium quæ per imitationem expressa sunt in sensili mundo. Idea verò idearum omnium, apud eosdem Platonicos vel Deus ipse est, rerum omnium opifex: vel certe Dei filius, vt potest colligi ex iis quæ copiosius à nobis disputata sunt, Commentario in Alcinoi Institutionem ad doctrinam Platonis. Quare quæ hoc loco dicuntur de mundo intelligibili, ea dicta putemus de Deo vel de Dei filio. In quibus colligendis admiranda est huius authoris diuinitas.

3 Hic agnoscit duplicem formam, vnam exemplarem, omnino à materia separatam, alteram illius exemplaris imaginem, quæ in materia est & cum eadem cõmunicat: primíque principii vim exemplari potius tribuit quam ima-

gini, ficut & Plato in Timæo. At in phyficis, vt naturæ genius, formam eam quæ in materia eft, primi principii rationem habere vult. In quo Platonis & Arift. opiniones à nobis comparatæ funt lib. 1. prioris defcriptionis phyficæ & comment. in Alcinoum.

De duplicis formæ vi in naturæ principiis dictum eft, nunc de materia prima quæritur quo modo hæc cogitatione fingatur omnis formæ expers & ad formam moueatur hàncque appetat.

Cap. 2.

1 *Contra verò fortaffe quifpiam hac ratione contendet & fubftantiæ in quam omnis naturalis forma diffoluitur, motum eiufmodi propriũ ineffe non poffe. Quod motus à quadam appetitione proficifcatur: illi autem appetitio nulla infit.* [2] *Quæ fi moueri non poteft, profectò neque fecundum effentiam procreata dicetur: fed id potius quod concretum eft. Illa autẽ caufa erit omnis motus. Nos verò refpõdeamus eum qui ita fentiat in magno errore verfari. Quoniam quod in fimplicibus ita primum eft, vt in id omnĩa alia diffoluantur, nunquam omnis formæ expers effe poteft (alioqui fine forma aliquid in rerum natura exifteret) fed in eo vni formæ pereunti altera fuccedit: ideóque vicißim formas recipiẽdo, illud à primo opifice gignitur. Quare à fapientibus dictum eft materiam primam moueri eo motu qui in recipiẽda forma confiftit: & ab eadem formam appeti vt perfectionem ab eo quod imperfectum eft. Quo etiam modo oculus afpectum appetit & fœmina marem. Itaque illa mouetur eo motu quem formæ appetitio excitat. Quæ naturæ propenfio ad formas recipiendas, ratio eft per quam eadẽ in iis quæ funt habetur. Quæ fi tollitur, illa neque erit, neque intelligetur. Si quis verò ipfius fubiecti diffolutionem fieri dicat in affectionem aliam fim-*

pliciorem, talis erit huius oratio qualis eorum qui in causis mouentibus descensum ponunt in infinitum. Igitur materia prima in rerum natura existit per motum, qui actus est perfectus. [3] *Cogitatione verò comprehenditur secundum infinitam mutationis vicißitudinem ab vna forma in aliam: nec nisi cum receptione formæ rationem principii obtinet. Cuius significatio quædam apparet in solidis, quæ ad quancunque rem obiectam figuram mutant.* [4] *Effectū itaque est omnis alterius substantiæ efficientem causam in essentia existentia atque constantia agentis primi esse positam: hoc verò esse primum mouens omnibus commune. Itémque id omne quod secūdum naturam ad motum comparatum est, ad hoc moueri: & quod per motum extitit, id omne quoque motu conseruari. Quoniam motus est actus rei in potestate existentis, id est perfectio & quædam ad actum progreßio.*

SCHOLIA.

1 Quæ dicuntur hoc toto capite de materia prima valde consentiunt cum iis quæ Arist. scribit lib. 1. physic. Nam cap. 7. docet omnia oriri ex materia & ex priuatione, sed dissimili conditione. Ex materia enim vt ex subiecto primo manente: ex priuatione verò, vt ex contrario pereunte: subiectum autem illud primum tantum per quandam rationis similitudinem à nobis cognosci. Et capite 8. posita superiore distinctione materiæ & priuationis, ostendit facile explicari posse id in quo veteres valde perturbabātur: nempe quo modo res oriatur, non ex nihilo, sed ex primo quodam subiecto, quod partim est, partim nō est. Addit capite 9. quod etiam hoc loco repetitum, à materia formam appeti, vt à fœmina marem, & à deformi ipsum pulchrum: materiamque quodammodo oriri & interire, eandémque, quia rationem habet subiecti primi, ortus & interitus omnino expertem esse.

2 Simili argumento Iustinus martyr contra Arist. contendit à materia formam appeti non posse. Quod appetitio eius esse videatur quod animo præditum est: materia autem prima non modo animi, sed omnino omnium formarum naturalium expers sua ratione intelligatur. Cui respondimus cap. 4. lib. 1. prioris descriptionis physicæ. Hanc verò generalem appetitionem formarum quarumlibet naturalium, in materia prima, parit sola generalis absentia formarum earundem: per quam illi similis efficitur tabulæ omnino nudæ & nouæ: non autem propriarum qualitatum in eadem vlla circūscriptio. At in ma-

teria

teria secunda, quæ est hoc aliquid, certæ qualitates insunt: per quas ad certas etiam formas, non ad quasuis præparatur. Quo fit vt neque hæc quasuis appetat: quemadmodum neque ex quouis ligno Mercurius fieri dicitur.

3 Sic legitur in eo exemplari cuius fidem sumus sequuti. Sed locus mihi est suspectus: videturque legendum (imperfectus.) Quoniam Aristot. docet lib. 3. physic. motum entelechiam esse siue actum, non quemuis sed imperfectum: vt hoc ipso à forma, quæ etiam actus est, distinguatur. Quam fuisse huius authoris sententiam intelligi potest ex fine capitis. In quo scribit motum actum esse rei in potestate existentis, id est, perfectionem & quandam ad actum progressionem. Hæc enim ad nouum actum siue ad formam tanquam ad finem progressio, haud dubiè rationem habet actus imperfecti.

4 Hic à nobis nonnihil immutatum est. Quod quam rectè factũ sit, vt æquus lector iudicet, proponam locum integrum ex vetere exemplari. Quare iam probatum est, inquit, quod omnis alia substantia habet efficiens in essentia existantiáque ac permanentia: primum agens, quod est mouens primum vniuersale, &c. Mutata distinctione existimaui legendum, primi agentis, quòd sic eluceret longè maior sententiæ commoditas.

Dictum capitibus superioribus de duobus vniuersæ naturæ principiis accommodatè ad Platonis mentem, nempe de forma exemplari, & de materia prima: sequitur de Deo, qui in eiusdem Platonis doctrina rationem habet tertij principij vt causæ primæ efficientis.

Cap. 3.

Primus opifex, author est vniuersi, atque hoc ipsum ille infinitate quadam immotus antecedit. Nec enim aliquando incœpit, cum antea nõ esset: sed finis est atque principium omnium eorum quæ sunt. Priórque iis secundum omnem rationem quam efficiens ad id quod efficitur, obtinet: nempe cuius vi res efficitur atque cõseruatur. [1] *Neque verò dicimus tempore priorem: alioqui permultis rebus quæ sunt eundem diceremus ignobiliorem. Non enim vnum altero tempore prius esse dicitur, nisi quia eorum vtrunque tempore continetur. Hoc autem de primo opifice dici nullo modo potest, quippe qui causa sit omnium: imo*

neque de ſubſtãtiis ſimplicibus: quanto minus de Deo ſummo? [2] *Tempus enim ſecundum naturam inferius eſt animo & intellectu, aliiſque ſubſtantiis ſimplicibus, in quibus huius eſt cauſa. Etenim ſi vniuerſi aliquod principiũ fuiſſe dicatur & ante hoc extitiſſe tempus aliquod infinitum, quo antegreſſo tandem mundus extare cœperit: ex eo erit conſequens Deum in rebus procreandis ſocium aliquem habuiſſe, à quo ad procreationem mũdi ſit excitatus. Nefas verò eſt hoc ipſi Deo attribuere. Eadémque ratione ſi infinito illo tempore antecedente, mundum non extitiſſe fateamur, fuiſſe oportebit cauſam aliquã ſuperiorem quæ eius procreationem impediuerit. Quod de Deo eò abſurdius eſt quò is intellectu animóque eſt præſtantior. Cuius ſi excellentiam atque magnitudinem conemur oratione explicare, vel cogitatione complecti, eam vix poterimus attingere. Eſſentiæ enim dignitate ſuperat cætera omnia, quæ ſunt quaſi ſigna per aliorum imitationem expreſſa, de illíſque pendentia. De quibus per eſſentiam primum intellectum procreauit, ſub eóque animum & ſingula quæ oriri poſſunt. Quare humana facultas, quæ infima eſt, neque hũc cogitatione complecti poteſt, neque eorum quæ illi attribuuntur, quicquam perfectè cognoſcere.*

SCHOLIA.

[2] Sic apud Ariſt. lib. 4. phyſic. in tempore eſſe propriè dicuntur ea quorum menſura tempore continetur, & quæ ab ipſo tempore patiuntur. Ex quo ille eodem loco concludit res æternas, hoc ipſo quod æternæ ſunt, in tempore nõ eſſe. Quoniam neque eas vllum tempus complectitur: neque earum rationem metitur, neque a corpore quicquam patiuntur. Dignum verò obſeruatione eſt, quod hic pro rato ponitur, quando de duobus vnum altero prius tempore eſſe dicitur, vtrumque eorum tempore contineri oportere. Nempe quoniam quando duo rectè conferuntur in eadem menſura, vtrunque menſura illa oportet contineri. Quanquam id non ſine aliqua dubitatione eſt.

[1] Tempus enim Aristoteli eodem libro, numerus est in motu primi orbis, vt in regula cęterorum motuum, ab anima numeratus vel certe numerabilis. Vnde existit quæstio quam idem tractat cap. 4. lib. eiusdem, an sublato omni animo numerante, tẽpus adhuc manere possit. In quo Plotinus cap. 8 de æternitate & tempore Aristoteli aduersatur, & contra eundem acutè de tẽporis natura déque huius obseruatione disputat.

Intelligibilem mundum ab hoc, quem incolimus, ita distinguit, vt in eorum cõparatione ex Platonicorum doctrina satis apertè ostẽdat quæ sit idearum dignitas supra res singulas, quæ harum sunt imagines.

Cap. 4.

Nos modo pro nostra facultate narratione nuda atque simplici, intellectus dignitatem & mundi intelligibilis nobilitatem explicemus, quáque conditione ascendendum sit ad huius essentiam contemplandam. [1] Illum similem esse dicimus puncto quod in circulo continet quicquid angulorum est, laterum, linearum & extremitatum, omniúmque eorum quæ cogitari tum in ipso circulo, tum in reliquis figuris possunt. Hoc diuisionis omnis & dimensionis est expers, omnésque lineæ circuli ab eo profectæ, ad idẽm reuertuntur. Ideoque centrum vocatur. Circulus quoque dicitur qui omnes illas lineas ab interiore pũcto ortas, ambitu suo complectitur, easdem conseruans, vt insitas mundo figuras, quæ in partes varias duci possunt. Quando verò intellectum similem esse dicimus interiori pũcto in circulo alias formas cõplectenti, ex eo cognoscitur nostram de illo scientiam ab eodem proficisci: ac in ipso ortu in nos influere. Cúmque idem indiuiduus appellatur, eo ipso significatur illi suam essentiam non sufficere ad res alias cognoscendas: quandoquidem cum nostro animo coniungitur. Neque tamen idcirco à substantiis inferioribus commutationem vl-

lam accipere potest, sed eius scientia à primo vero agente proficiscitur: atque ei animo qui singulis hominibus proprius, ipsa imago minimum signum est ad illius in se reuersi naturam explicandam, vel cogitatione complectendam. Alioqui communis non esset. Neque apud nos quicquam est, quod cum rationibus illi insitis conueniat, aut eius naturam exprimat. Quare nec de eo iudicare possumus nec vllum exemplum, quodquidem par sit, nobis subiicere ad eiusdem perspicientiam. [2] Qualis igitur in nobis esse potest contemplatio primi opificis qui ipsa est rerum omnium essentia, pura, abundans luce, honore, dignitate & cuius mundus est omnium nobilißimus? Nos itaque intellectus elogia mundíque intelligibilis, dignitatem pro ingenii nostri imbecillitate tãtum explicabimus: primo loco eam rationem commemorantes qua in eius contemplationem excitamur. Duplex mundus ita se habet, vt is qui solo intellectu percipitur altero in sensum cadente superior sit. Quoniam illẽ huius causa est, & in eundem sua virtute influit. Quibus similitudine quadam respõdent lapides duo: de quibus vnus summa arte exculptus est, alter rudis & informis. In iis enim vnus altero perfectior non eo ipso quo lapis est (vterque enim lapis dicitur) sed quia ea forma ornatus cuius artificiũ non inerat materiæ: sed artificis mente prius comprehendebatur quàm in lapide efformaretur. Artificium autem inest statuario, non quia oculatus est aut pedibus manibusve præditus: sed quia statuarius artis suæ peritus est per quam indicat quid faciendum. Eidémque formæ communes insunt: ipse verò formas singulas effingit hásque pulchras reddit. Quæ essentiam habent vni-

cam, ſed per materiam plures exiſtunt intereúntque, communibus formis minimè intereuntibus. [3] Quare ipſa ars in artifice nobilior eſt quàm in opere: neque forma ſecundum eſſentiam eadem in artifice eſt quæ poſtea in lapide: ſed illa conſtans permanet, ab eáque artificis induſtria, alia in materiam influit quæ alterius pulchritudinem aſſequuta non eſt, neque pro conatu artificis abſoluta, ſed pro materiæ capacitate: quæ in nonnullis magis, in aliis minus ad illius imitationem eſt comparata. Forma quoque in materia ſingularis eſt nec ſeparari poteſt: & ſi ab vno ſubiecto in aliud trãsferetur, eo ipſo multo magis minueretur. Hæc igitur in pauca contrahamus. Omne agẽs nobilius eſt ſubiecto: quia hoc ſuperatur, illud ſuperat: & quodlibet exemplar imagine ſua eſt melius. [4] Quoniam ſingulæ formæ quæ in bonis ſunt, ab vniuerſalibus prioribus atque ſuperioribus proficiſcuntur. Hæ quidem quæ arte conſtant, ab ea quæ eſt in animo artificis: quæ etiam melior eſt altera quæ in marmore effingitur. Enimuero ars ipſa ad intellectum pertinet: quia perpetua eſt eadémque permanet. In eóque naturam imitatur quæ neceſſitate quadam ſui ſimilis permanet: quia alterum ſuperiorem intellectum imitatur. Neque verò artifex in opere ſuo efficiendo id ſolum imitatur quod arte elaboratum eſt, ſed ad ſuperiora aſcendens, à natura exemplar repetit, cuius imitatione opus ſuũ reddit pulchrius. Atque ſi forte in naturali forma quam imitatur, imperfectum quiddam ſit, idipſum perficit per imitationem eius quam intellectu comprehendit: prout tamen ſubiecta materia ad illam imitationem ſuſcipiendam eſt præparata. Exempli gratia ſi artifex, Iouis formam,

vult exprimere, non intuetur figuram aliquam in ſenſum cadentem: ſed cogitatione ad ſuperiora excitatus, illum depingit ſpecie omniũ pulcherrima. Vt ſi Iupiter ipſe ſub corporea forma ſpectandum ſe præbere velit, non poſſit vllam aliam perfectiorem induere.

SCHOLIA.

1 Sicut mundus hic in ſenſum cadens, continet omnes rerum naturalium formas quæ cum materia communicant: ſic mundus intelligibilis, omnes formas intelligibiles & ideas. Itaque apud Platonicos idea idearum eſt, idémque Deus rerum omnium opifex & moderator. Qui ſe ipſe intuens, in procreando ſuæ excellentiæ particulam aliquam in materia exprimit: gradibus tamen diſtinctam, pro cuiuſque rei capacitate. Itaque hoc loco rerum omnium eſſentiam in ſe vnire dicitur: quemadmodum omnes lineæ circuli in centro vniuntur.

2 Intellectus primus, de quo ſuperiora erant accipienda, vno gradu inferior eſt mundo intelligibili, hícque rurſum ſua ratione inferior primo opifice, ſicut in ſequentibus docebitur. Quare idem primus intellectus magis deſcendit ad noſtrum captum in vita hac, quàm mundus ipſe intelligibilis huiúſque opifex. Ex quo ratum hoc argumentum quod à comparatione ducitur. Sic verò nos, vt Ariſt. ait lib. 2. Metaph. cæcutimus ad ea quæ ſunt in natura clariſsima, vt oculus noctuæ ad Solem.

3 Locus hic indicat quo modo apud Ariſt. res ſpecie differre dicantur, quídque ſit quod ea diſtinguit quæ in eadem ſpecie ſolo numero differunt. Nempe materiæ partitio & circunſcriptio accidentium quæ materiæ partitionem ſequuntur. Vnde exiſtit quæſtio quam tractauimus Commentario in Alcinoi Inſtitutionem ad doctrinam Platonis, An inter animos humanos cum è corporibus exceſſerunt, diſcrimen ſit ſpeciei an numeri tantum?

4 Dixit alius interpres quem in horum librorum explicatione habuimus in manibus, quodlibet exemplum eſſe melius exemplari: ſed in eo videtur exempli & exemplaris diſtinctionem omninò peruertiſſe. Sicut & poſtea cum hoc ipſo capite, pro exemplari dixit ſimulachrum.

Naturæ & artis pulchritudo in ſuis imaginibus, explicatur: hinc tranſitus fit ad pulchritudinem animorum, quæ paucis eſt cognita.

Cap. 5.

1 *Explicandum hoc loco nobis eſt quomodo ars atque natura pulchras rerum formas exprimant ſupra facultatem poteſtatémque materiæ. Primùm autẽ animaliũ pul-*

chritudo sita non est in sanguine: [2] *quoniam hic in singulis quæ eadem species proxima continentur, similis est & vniusmodi, sicut ipso aspectu deprehendi potest. Neque tamen illa omnia ex æquo pulchra sunt, neque in quibusuis animalium formis sanguis eandem rationem seruat. Siquidem in illis quædam sanguinea sunt, alia sanguinis expertia. Quî fit igitur vt omnibus pulchritudo quædam insit, cum tamen non omnia ex æquo sint sanguinea? Itémque pulchritudo versatur in colore atque figura, prout hæc sua moderatione oblectant. Sanguis autem (qui quia simplex est, in animalibus materiæ rationem habet), nec vlla figura informatur neque oblectat. Non est igitur in eo ratio pulchritudinis vlla.* [3] *Qui verò luce ipsius boni illustratus, nouit mulieris pulchritudinem occasionem dedisse belli maximi atque diuturni inter Græcos horúmque hostes, & de hominibus eos formosos esse quorum aspectu oculus nunquam satiatur: idem etiam tandem aliquando cognoscit, quibus constet earum rerum pulchritudo quæ sola intelligentia percipiuntur. Fieri quidem fortasse potest vt in aspectum cadat humana aliqua forma, in qua nihil reprehendi posit, aut cuius præstantiam nemo oratione consequatur: quæque ab aliquo in subiectum agente profecta sit, quemadmodum eorum quæ arte constant, forma ab artifice. Sed quanquam in iis dum ea bona sit quæ arte inducitur, melior tamen est naturalis, quæ materiam primam subiectam habet: hácque rursum præstantior altera, quæ in virtute agentis consistit. Quoniam huic primæ nulla materia est subiecta. Pulchritudinem autem à subiecto non emanare, ex eo apparet quod alioqui eam pro sub-*

*iecti maiore quantitate maiorem quoque oporteret existere. Atqui animaduertimus in paruo corpore formam non minus aut etiam magis oblectare quàm quæ magno corpori inest. Quare non ipsius pulchritudinis ratio, sed fundamentũ in corpore est positum. Idque ex eo intelligitur quod sine corpore pulchritudo nõ potest percipi: sed hæc cum illo ad interiora delata cognoscitur. * Defertur autem ac permeat beneficio aspectus: qui cum, vt antea probatum est, solam formam contempletur, pulchritudo in animo tãtum consistit, huiúsque perceptionem subiecti quantitas nõ impedit: sed hæc dum illius comes est, simul quoque cum illa cognoscitur. Porrò agens ipsum aut nobile est, aut ignobile, aut inter hæc medium. Atque si medium est, illorum alterum procreare non potest. Non enim hoc magis quàm illud potest efficere. Si verò pulchrum extiterit, pulchrum quóque erit quod ab illo proficiscetur: sique naturæ opus pulchrum sit, intellectum illo pulchriorem esse oportet. Sed nobis occulta est naturæ pulchritudo. Quoniam de vnoquoque corpore ea tantũ videmus quæ externa sunt, pulchritudinem admirantes quæ in extremitate apparet: interiora verò minime. Quare si ad interiorem formam aspiramus, externa vilescit. Quia quæ interiora sunt ea intellectum natura sua præstantẽ mouent nõ aliter quàm imago eum qui hanc intuetur, ad artificis absentis cognitionem excitat. Itaque cum ea quæ in corporibus interiora sunt, intellectum moueant: efficitur profectò eam pulchritudinem quæ illis inest, à natura & intellectu esse profectam. Variæ etiam formæ à corporibus separatæ sua pulchritudine exornatæ sunt: quales Mathematicæ figuræ lineis*

neis descriptæ, mulierúmque imagines quæ in speculis apparent, ac notiones animi quæ certe manifestam pulchritudinem habent: præsertim cum ipsius animi indices sint ac eiusdem similitudinem quanquam referant. Amplius si hominis in moribus recti externam formam tantum intuearis, eius pulchritudinem non deprehendes. Erraueris tamẽ si illum deformem existimaueris. At si in eodem quæ interna sunt, perspicias, merito formosum dices. Quoniam vera forma subest atque interior est. Multi quidem ignoratione capti intellectúque in corpus demersi, externam pulchritudinem appetunt, atque idcirco interiorem nõ assequuntur. Ex quo accidit vt reconditam sapientiam non inquirant, propter contemplationis subtilitatem. [5] *Qualem nos hoc libro sumus complexi, quem de philosophia secretiore inscripsimus: quòd ea vulgaribus committenda non sit, nec hi suo ingenio poßint illam attingere. Si quis verò etiam in corporibus pulchritudinem inueniri contendat, hanc naturæ esse dicemus: sed illa alteram longe meliorem quæ ad animum pertinet: vt pote à qua naturæ pulchritudo proficiscatur.*

SCHOLIA.

1 Locus hic apertè indicat quod antea significatum est obscurius, & pluribus locis sequentibus confirmabitur: non excitari formas rerum naturalium de materiæ potestate: quod tamen plerique in doctrina peripatetica arbitrantur. Quoniam illæ superiores dicuntur atque diuiniores ea potestate quæ materiæ est insita. Et certè diuinum & pulchrum suaptè natura, non potest de impuro & deformi excitari.

2 Pulchritudinis corporeæ in vniuerso genere animalium causam propriam non esse positam in sanguine duobus argumentis confirmat. Priore quidem, quod in animalibus omnibus sanguineis, in quibus tamen sanguis se habere videtur eodem modo, non sit eadem ratio pulchritudinis. Posteriore verò quod quædam animalia sint sanguinis expertia, quæ tamen suam pulchritudinem habent. Vtriusque vis pendet ex comparatione causæ propriæ cum suo

primariæ quæ intellectui & animo inest. Idémque vnicũ omnino est, nec multiplicari vllo modo potest: sicut nec cõmutari. Nec ab alio quicquam accipit: nihil verò aliorum esse potest quod ab hoc non aliquid recipiat. Agentia quoque omnia cum altero coniuncta, in forma operantur: sed illud primarium sine subiecto agit per solam virtutem essentiæ. Ideóque intellectus æternus appellatur, nec tempore concluditur. [2] Quoniam illi nulla rationis inuestigatio inest: neque intellectus poßibilis. Quodquidem apposito exemplo in sensum cadente docere conaremur: sed hoc non esset ad institutum accommodatum. Quoniam ex rebus commutabilibus peteretur, atque idcirco rei æternæ esset dißimile. Ponendum igitur pro exemplo id quod ad intellectum pertinet. Ac vt auri portio quæ alterius rei significationem est habitura, si immunda sit, repurgatur, vel omnino vel certe quodammodo: vt aurum verè sit non extrinsecus tantum apparens, sed in interioribus etiam suæ substantiæ partibus, præditum omnibus auri qualitatibus: sic nobis nunc faciendum est dum essentiam primam per intellectum tanquam per imaginem explicare conamur. Sumendus enim est is intellectus qui perfectißimè est repurgatus. Ad cuius cognitionem si quis aspirat ea in spiritibus est quærenda. [3] Si quidem hi puri sunt & inexplicabilem habent venustatem: quoniam nihil nisi intellectus sunt. Quos qui contemplatus fuerit, eis persimilis euadet: nec amplius virum iustum appetet, quòd corpore pulcher sit, sed quia intellectu talis esse videtur. Spirituum enim pulchritudo summa est. Quoniam sine vllo errore semper puréque intelligunt, résque cognoscunt, non vt humano

labore inuentas, sed vt diuina voluntate detectas. Quæ tam arduæ sunt vt has sola virtus quæ propria intellectus, contemplando poßit attingere.

SCHOLIA.

1 Per attributa videtur intelligere qualitates vel affectiones quæ essentiæ quidem insunt, ab hac tamen natura sunt diuersæ. Vt potest colligi ex eo quod sequitur de agente primario: quodquidem agit ex sese, nulla vi attributorum adiutum, id est sine vllis materiæ qualitatibus organicis. Quo modo etiã Aristoteles agentia distinxit lib. 1. de Ortu.

2 Loquitur de ea inuestigatione quæ constat quodam discursu ex præcognito ad incognitum. De qua Arist. cap. 1. lib. 1. Analyt. post. Illa autem indiget phantasia, sine qua intellectus possibilis non potest existere: vt idem docuit lib. 3. de Anima.

3 Spiritus vocare videtur cælestes intelligentias, de quibus Arist. multa colligit lib. 12. Metaph. Neque hoc omnino alienum est ab eo quod spirituum nomine Angelos & Dæmones significare solemus. Sic enim nos cum vix quicquam cogitatione possimus concipere nisi corporeum, rebus omnino incorporeis spirituum naturam cum populo tribuimus. Quoniam hic nihil apprehendit minus corporeum quam quod spirabile est & æreum. Quo modo passim in sequentibus eodem nomine author hic vtetur.

Spirituum genera distinguit, deinde ea quæ sunt in mundo hoc comparat cum iis quæ intelligibili continentur: maximè in spirituum natura & varietate.

Cap. 7.

Spirituum etiam aliquot genera sunt. Quidam enim celestes, in ipsis stellis potißimũ suam sedem habentes: quòd illorum actiones in iis maximè appareant. Alij in totis orbibus sine vlla differentia siti. Quia incorporei sunt, neque stellis tãtum, sed omnino ipsis orbibus sine discrimine præsunt. [1] *Si quis verò inquirat an in mũdo hoc, qui in sensum cadit, quicquam sit cuius mũdus alter sit expers: equidem in illo hæc etiam inesse dicimus, Cælum, Terram, Mare, Bruta, Plantas, homines, denique ea omnia quæ in mũdo hoc reperiuntur. Sed eorum quæ in illo sunt nihil esse*

terrenum atque ſpiritus qui in eodẽ verſantur cũ hominibus illic viuentibus amica pace conſentire. Neque enim eorum vnus alterum expellit, nec ab altero pellitur. Neque vlla in re ſibi inuicem aduerſantur: ſed omnes in maxima vitæ ſocietate conquieſcunt. Quoniam eorum authör, ſicut antea dictum, vnicus eſt omninóque ſui ſimilis. Illi quoque ea quæ ſunt contemplantur, non quæ ortui & interitui obnoxia. Iidémque ſinguli in alterius eſſentia ſuã intuentur. Quia & ſpiritus qui in eodem mundo verſantur pellucidi ſunt nulláque in parte obſcuri: neque item cõtigui, neque diſiuncti: ac eorum quilibet alteri perſpicuam lucem præſtat: neque quicquam quod ad vnum pertineat, alterum latere poteſt. [2] *Non enim horum contemplatio oculo corporeo terminato, commutabili, perficitur colores recipiendo, ſed oculo mentis: qui ſexta quadam virtute, in vnum ſenſum colligit virtutes ſenſuum quinque inſtrumentis diſtinctas.* [3] *Quoniam diſtãtia inter centrum circuli qui ad intellectum pertinet: & lineas ab eodem ductas, nulla menſura definiri poteſt.*

SCHOLIA.

1 Sic cum in ſenſili mundo regio vna ſit cæleſtis, altera elementaris, omnia quæ ſunt in elementari dicuntur etiam eſſe in cæleſti, ſed meliore quodam modo: ideóque horum vi illa regi & conſeruari. Quæ ſententia eſt Agrippæ libris de occulta philoſophia. Et apud Platonem intelligibilis mundus idea eſt huius quem incolimus. Omnia autem quæ ad imagines pertinent ſunt in idea: ſed perfectiore modo. Quoniam in imaginibus cum materia cõmunicãt, à qua eſt omnis imperfectio.

2 Quinque ſenſus externi in communi & interno tanquam in centro, etiam in belluis vniuntur, vt Ariſtot. docet lib. 2. de Anima & lib. de ſenſu. In homine autem ſolo ille internus ab intellectu ſiue à mente illuſtratur cum notiones excitantur de comparatione ſingularum imaginum quæ in phantaſia ſunt receptæ. Vt ex eo facile poſsit colligi falſum eſſe, quod tamen Galenus exiſtimauit, notiones eiuſmodi belluis ineſſe: quæ non poſſunt niſi beneficio ratio-



DE SECRETIORE parte diuinæ ſapientiæ, ſecundum Ægyptios,

Ariſtotelis lib. 5.

INTERPRETE IACOBO CARPENtario, Claromontano Bellouaco.

Animalibus cur data ſint diuerſa inſtrumenta ad ſentiendum deſtinata & in prima animalis cõformatione hæc quem ordinem habeant ad ſenſum & ad animum.

Cap. 1.

PRIMVS [1] opifex demittens animos in mundum hunc qui res eas cõtinet quæ oriuntur, eiſdem adiunxit inſtrumenta varia ſingulis ſenſuum facultatibus accõmodata: vt animal ipſum ſe ab externis iniuriis tueretur, declinans quæ nocitura præſentiret, perſequens autem quæ viderentur conuenientia. Atque idẽ opifex hæc inſtrumenta ſingulis ſenſibus accõmodans, ſua prouidẽtia hominibus quàm belluis aptiora dedit. [2] Neque verò prius inſtrumenta conformauit, deinde his ipſos ſenſus indidit: ſed hæc in prima animalis conformatione coniunxit propter eã cauſam quæ eſt expoſita. Si quis verò

diceret Deum cum præuideret fore vt animalia peragrarent loca calfaciẽtia aut refrigerantia alióve modo corpora efficientia, ne hæc ab eiusmodi qualitatibus corrumperẽtur, adiecisse sensus & horum vnicuique accõmodatum instrumẽtum: equidem fatebimur animo prius datum sensum quàm instrumẽtum: animalibus verò sensuum instrumenta & ipsos sensus simul affuisse.

SCHOLIA.

1 Hic iterum indicat quod antea notatum est cap.5. lib. superioris formarum omnium cælestem esse originem. Quoniam non solum nunc loquitur de animi parte quæ mens appellatur, quæ haud dubiè extrinsecus aduenit, vt Arist. ait cap.3. lib.2. de Animalium ortu, sed de ea quæ communis cum belluis. Hæc autem absolute natura est: quia in agendo omnino cum corpore communicat, vt idem significat cap.1. lib.1. de partibus animalium. Paulo verò aliter Plato in Timæo vult mentẽ datam à primo opifice: inferiores verò animi partes vel facultates & instrumenta corporis his subseruientia, esse à Diis minoribus. Vt illa sola immortalis, hæ mortales intelligerentur.

2 Quanquam neque hæc natura simul sunt, sed in instituẽda genesi antecedit animus sentiens, vt finis, deinde huic in ipsa genesi accommodãtur partes corporis organicæ. Quæ simul atque conformatæ sunt, in eis apparent functiones sensuum. Atque idcirco duo hæc in animalis conformatione dicuntur esse tẽpore coniuncta. Quod etiam hoc loco videtur indicare voluisse in explicatione quæstionis quam proximè subiicit.

De Deo quæritur an antecedente deliberatione res in natura procreet: deinde an animus qui in nobis sentit prius quàm cũ corpore coniungeretur, fuerit etiam sentiendi facultate præditus.

Cap. 2.

1 *At si Deus simul cum animo sensus procreauit, quando is primò procreatus est, videtur necessarium sensus eidem prius fuisse insitos quàm ad animalis cõstitutionem in corpus sit delapsus. Quæ si vera sunt, eiusdem descensus naturalis erit, atque principii sentiendi inchoatio ad mundum intelligibilem pertinebit: in origine autem perfectio, ad elementarem.*

mentarem. Quare si idē procreatus est non propter se ipsum, sed vt in domicilio ignobili variísque rebus afflicto versetur, consequens erit hunc etiam à primo opifice antegressa deliberatione & meditatione sic esse institutū. At Deum per consultationem agere nō dicimus, alioqui eo prius aliquid esset. Quoniam meditando atque deliberando, ex aliquo priore proficiscimur. Cum tamen Deo nihil prius sit, sed hic primus omnium: quemadmodū neque eodem quicquam posterius. Porrò cogitatio ex principiis ad conclusiones proficiscitur, principiáque per sensum cognosci possunt. At intellectus nihil eorum quæ sentiri possunt, per sensum cognoscit. Quia ab intelligibilibus incipiens, in eadem desinit. Ex quibus manifestum est, hunc meditando atque deliberando ad ea non descendere quæ in sensum cadunt. Itaque multo minus primus rerum omnium opifex meditatione deliberationéque indiget ad regenda animalia, aut eorum quicquam quæ mundo tam superiore, quàm inferiore continentur. [2] Res autem consulto cogitatóque ita fieri dicuntur quòd cum omnia in sapientia Entis primi procreata sint, eadémque distincta secundum rationem propriam, & quæ cum altera specie cōmunicari nullo modo potest, non alius vllus sapiens quantanuis diligentiam ad deliberādum adhibeat, res alias illis similes paritérque perfectas poßit absoluere. Cogitatio verò ad ea quæ nondum sunt, absoluenda adiumentum affert, cum quis prius consultat quàm agere incipiat. Quare in illa eum qui consultat prius nosce oportet quid agendum sit: & si quid ea ratione effectum fuerit, ei quod antea cogitatione erat comprehensum dißimile non apparebit. [3] At cum aliquid ab

alio efficitur, ei quod per ſolam eſſentiam agit non eſt præcognoſcendum quale ſit id quod efficiendum eſt. Quoniam tale tantum efficit, quale eſſe decet: atque idcirco ad agendum alio adiuuante non indiget, nec antegreſſa cogitatione. Nos itaque ad id quod initio fuerat propoſitum reuerſi, ſtatuimus animos prius quàm ad animalium procreationem deſcenderent, in ſuo mũdo ſenſu fuiſſe præditos, ſed eo qui ad intelligentiam pertinet: eoſdem verò in animalibus procreatis, ſentiendi etiam facultatem habere, eam ſcilicet quæ cum corpore eſt coniuncta: illóſque medios eſſe inter intellectum & corpora. Si quidem ab intellectu, ſentiendi vim accipiunt, quam cum corporibus communicãt: niſi quod hæc cum ipſo corpore cõmunicata, iam alio modo ineſt, nempe eo qui ipſe quoque noſtro ſenſu percipitur. Quia animus nonnunquam à ſenſu reuocatus & ad intellectum excitatus, quæ corporata ſunt in ſpiritus conuertit: illa præparans ad eam cognitionem quæ intellectus eſt propria. Nonnunquam verò contra efficit, vt quæ ſpirituum ſunt, ea rerum corporatarum naturam accipere videãtur.

SCHOLIA.

1 Erat enim animus prius quàm ad animalis conſtitutionem cum corpore coniungeretur, ex Platonica doctrina, quæ huius operis authori familiaris eſt. Quare ſi nullo tempore ille fuit ſine ſenſu, neceſſe eſt ſenſum fuiſſe ante corpus animalis conformatum. Ex quibus eſt conſequens eiuſdem deſcenſum in corpus, naturalem fuiſſe, propter adiunctam ſentiendi facultatem quæ naturaliter corpus organicum appetit, ſine quo ipſum ſentiendi principium non poteſt omnino eſſe perfectum. Ergo inchoari tantum videtur in mundo intelligibili: in hoc verò adiuncto corpore perfici. Quia in hoc nanciſcitur organa ad perfectionem ſuarum actionum neceſſaria. Quæ omnia probabiliter tãtum dubitando dicta ſunt.

2 Locus idem de naturæ prouidentia & primæ mentis deliberatione in rebus ſingulis procreandis, pluribus à nobis tractatus eſt in eandem ſententiam cap. 6. lib. 1. prioris deſcriptionis phyſicæ. De quo vide etiam cap. vltimum lib. 14. huius operis.

3 Distinctio agentium fere talis qualis apud Arist. formarum, in eas quæ cum materia communicant, & quæ omnino materiæ sunt expertes. Nam quæ agunt per solam essentiam (cuiusmodi certe sunt formæ omnino materiæ expertes) ea antegressa deliberatione non indigent. Quia neque errare possunt, neque de eo quod agendo sequendum est aut fugiendum, dubitare. In quibus non est dubium quin Deus imprimis debeat numerari. Qui si quando deliberare dicitur, id certè ex eo accidit quod humana ad illũ transferimus: huiúsque agendi modum nostro metimur.

Primus rerum omnium opifex cum reliquis agentibus comparatur, eiusdémque opus primarium cum aliorum agentium operibus.

Cap. 3.

1 *Opus omne quod à primo rerum opifice profectum, idẽ quoque æternum & partibus omnibus est absolutum. Quoniam & ipse perfectus est: nec de agentibus quæ posteriora sunt, quicquam est quod ab illo nõ habeat originem: quóque idem perfectior non sit & purior. Hic primus author qui vniuersum condidit & perfecit, in se consistens, ad se ipse est reuersus. Ideóque agentia omnia quæ ab illo primo diuersa sunt, eodẽ quoque deteriora sunt minúsque perfecta. Atque ab eo ratione essentiæ pendent: illud autem aliunde minime. Enimuero ab agentibus secundis in quibus numerantur Intellectus, Animus, aliáque simplicia principia, nullum opus imperfectum manat. Quanto minus igitur imperfectum erit, quod à primo agẽte proficiscetur? Quare existimandum est hoc apud ipsum perfectum esse & constans, non vltimum sed primarium, cui aliud vltimum subsit: quod vocetur vltimum, quia tempore definitum. Tale verò sit pro ipsius agentis primi voluntate. Atqui antea probatum est opus quod ab agẽte primo nulla alia causa interiecta effectum est, ab illo vno in puncto*

emanare, atque vnicum ſecundum ſubſtantiam exiſtere. 2 *Ex quibus efficitur neque id tẽpore definitũ eſſe: quemadmodum neque loco concludi poteſt.*

SCHOLIA.

1 Loquitur de opere cuius cauſa proxima Deus eſt: nec vlla alia vt miniſtra, eſt intericcta. Quoniam quæ à cauſis ſecundis Deo ita volente effecta ſunt, à Deo quoque effecta ſunt (quia hic efficiendi poteſtatem omnem cauſis ſecundis dedit) neque tamen æterna ſunt. Sic verò Plato in Timæo partis animi quam immortalem eſſe volebat, ſolum authorem Deum patrem eſſe dixit: reliquarum verò quæ mortales erant futuræ, minores Deos: cum hanc poteſtatem ab illo accepiſſent. Quod à nobis obſeruatum eſt pluribus in Alcinoi Inſtitutione ad doctrinam Platonis.

2 Locus enim & tempus circunſtantiæ ſunt ad naturalia tantum pertinentes. Siquidem loco omnia naturalia corpora continentur (niſi fortè quis de cæli vltimi corpore dubitet) & eorundem motiones tempore definiuntur atque menſurantur. Diuina autem neque loco circunſcribi poſſunt, neque tempore contineri, ſed æternitate: quæ à Platonicis temporis exemplar appellatur.

Oſtendit quo modo intellectus primus ſe habeat ad primum opificem rerum omnium Deum & ad intellectum animus vniuerſi, ad hunc natura communis, quæ primam materiam ſic informat, vt ab hac ſeparari non poſsit.

Cap. 4.

1 *Omnia quæ poſt intellectum primum procreari poſſunt, huic inſunt, in quo, vt antea dictum eſt, agentis principis proprium opus exiſtit, ideóque primarium.* 2 *Nec de iis quæ poſteriora ſunt, quicquam effici poteſt quod ab eiuſmodi intellectu non proficiſcatur. Quare omnia in illo firma ſunt nec vlla alia puritate perfectionéve indigent: ſiue ea certo tempore definita ſint, ſiue tempus quantumuis ſuperent. Atque apud eundem vnumquodque ſemper eſt vniuſmodi. Porro ab agente Principe omnia proficiſcuntur: ipſum verò ab alio nullo originem habet. Cauſarúmq; au-*

thor est, atque primum omnium intellectum procreauit: cuius vi reliquorum essentia conseruatur. Intellectu inferior est animus vniuersi, qui huius forma est absoluta, omniúmque eorum quæ sequuntur. Quibus singulis pro sua conditione propriam qualitatem tribuit, nonnullis nobiliorem, aliis inferiorem. Animum sequitur ipsa natura, cuius vi procreantur & conseruantur omnia quæ cum materia prima ita cohærent, vt ab hac separari non posśint. Illius verò partes sunt causæ inter se connexæ, & in intellectu qui à primo opifice originem habet, coniunctæ, in eodémque indistinctæ, quæ sibi inuicem nondum causæ sunt.
3 *Quarum effectus quidem euidentes sunt, causæ verò interiores, occultæ: ipsúmque agens his longè occultius. Ac vt effectus causam habet definitam, sic quoque causa effectum definitum.*

SCHOLIA.

1 Ex Platonica doctrina qua author huius operis maxime delectatur, hæc in causis efficientibus, gradibus suis distinguũtur, Deus opifex & moderator vniuersi: primus intellectus per quem ille omnia procreat & cõseruat, mundi animus qui omnibus vitam dat: natura communis, quæ magis quàm animus cum materia communicat, superiora verò duo omnino à materia separata sunt. Quæ omnia in animali & maxime in ipso homine tanquam in minore mundo, suo quodam modo insunt: sed huic accommodata & quasi propria facta. In quo apud eosdem Platonicos posita sunt fundamenta sympathiæ inter ipsam vniuersitatem, & hominem qui eius virtute regi dicitur.

2 Omnia ergo à Deo sunt per intellectum primùm: quem Platonici Dei filium nominant. Vnde apud eosdem nobilis quæstio existit, de malis qua & vnde sint? quæ à Plotino vno libro tractata est, & à nobis disputata commentario in Alcinoi institutionem ad doctrinam Platonis.

3 Hinc modus docendi ad humanam imbecillitatem accommodatus, quo rerum primæ causæ ex effectis inquiruntur. Quia vt Aristot. ait in Metaph. intellectus noster hoc corpore conclusus, ad ea quæ sunt in natura clarisśima se habet, sicut oculus noctuæ ad ipsum Solem. Ex quo dictũ est a Mercurio Trismegisto, nihil esse nobis Dei essentia obscurius: eodem verò nihil esse in rebus effectis clarius. Quod obseruauimus eodem commentario in Alcinoum, in digresśione de Deo.

Modus agendi Deo proprius à reliquis distinguitur: ipsæque formæ omnino materiæ expertes, ab his quæ cum materia coniunctæ, cum eadem in agendo communicatur.

Cap. 5.

1 *Agens primum, propter finem non agit: quod eò nobilius nihil sit propter quod poßit agere. Quare agens est perfectum, omniáque ab hoc procreata ab intellectu diuersa, in eo quod primò procreatum est vt in forma prima, primùm sunt efformata: vt, verbi gratia, animus in intellectu. Id autem cognoscendus est eo modo quo se in ipsum cognoscit. Quem nos non assequimur.* 2 *Quoniam in eo vis intelligendi & res quæ intelligitur, vnum faciunt. Ideóque per ipsum intellectum melius res ab hoc differentes quàm hunc ipsum cognoscimus. Porrò cùm aliud ab intellectu & intelligibili per intellectum cognoscitur, tum supra id quod est, etiam propter quid cognoscitur.* 3 *Quoniam in naturalibus quæ materiata sunt, quæque ipsius intellectus & rerum intelligibilium imagines, duo hæc differunt. Verbi gratia, homo qui in sensum cadit, imago est hominis intelligibilis. Quoniam homo intelligibilis naturam spiritus obtinet, nullásque partes disiunctas habet, nec oculũ à manu situ distinctum. Quod etiam in reliquis partibus similiter est intelligendum. Quandoquidem hæ omnes in illo sunt coniunctæ. Quare esse in oculo non est aliud ab eo propter quod est oculus. Horum enim distinctio in eis tantum locum habet in quæ partitio cadere potest, partiúmque differentia. Nonnunquam etiam in his quæ in sensum cadunt, eadem opera cognoscitur quid sit aliquid & propter quid.* 4 *Vt exempli gratia, quid sit defectio Solis, & propter*

quid Sol deficiat, definitione vna comprehenditur: qualis hæc est, obscuratio propter lunam interpositam. Si verò in ea re quæ mundo inferiore continetur, vnum facere videntur quid est, & propter quid, quanto magis idem continget in intelligibili? Itaque qui definitione aliquid explicaturus est, si pro eo quod est, sumpsit propter quid, verè definiuit. Quoniam in omni forma intelligibili, esse & propter quid, ad vnum & idem pertinent. Non quod eiusmodi forma causa sit essentiæ suæ: sed quia qui diligenti inuestigatione deprehendit quid illa sit secundum rationem abstractam, idem quoque propter quid sit, simul cognouit. Quare cùm ratio qua explicatur quid res sit, minime distinguatur ab ea per quam propter quid sit cognoscitur, harum distinctio quærenda non est. In illis autem partiũ nullam differentiam existere hoc argumento cognosci potest, quod totius nomen absolutum de partibus etiam enunciatur: nec de iis quærere licet propter quid toti insint. In partibus verò quæ à se inuicẽ sunt distinctæ, quæri potest propter quid insint: neque res vna alterius appellationem absolute suscipit. Quoniam illæ à se inuicem differunt. Neque enim homo, oculus aut manus absolutè esse dicitur. At res intelligibilis cuiuslibet partis appellationem subire potest. Quoniam in illa (sicut sæpius dictum est) causa eadem est per quam quid res sit, & propter quid sit explicatur. Quod rei corporeæ hoc ipso quod corporea est, minime conuenit.

SCHOLIA.

1 Hoc capite multa sunt à nobis immutata in eo exemplari quod sequuti sumus. In quibus is vt spero mihi facile assentietur, qui ex Platonicis & Peripateticis huius authoris sententiam diligenter expenderit. Porrò agere propter finem, eius est tantum qui in finis assecutione nouam perfectionem sperat

& expetit. Quare Deus omni ex parte perfectus, imò ipsa summa rerum omnium perfectio, propter finem non potest agere. Sed tantum res procreat & cõseruat, quia ipse bonus est, ideóque procreando & conseruando, se rebus ipsis quodam modo communicat. Quod ab Alcinoo dictum est capite de Deo.

2 In Deo idem est intelligens cum eo quod intelligitur. Ideóque nullus in intelligendo discursus quo progrediatur à præcognito ad incognitum. Si quidem omnia in se cognoscit, séque ipse intuendo. In homine autem quoniam aliud est ab intelligente id ipsum quod intelligitur, necessaria progressio à præcognito ad incognitum, per medium quod phantasma appellant. Nisi cùm huius intellectus à corpore rapitur, & ad diuina traducitur per ecstasin. Tum enim intelligit intuendo, sine medio phantasmate. Qui intelligendi modus à Platone significatus est cum dixit diuina non doceri, sed animo purgato videri. Idemq; suo exemplo illustratus à Mercurio Trismegisto initio Pimãdri.

3 In materiatis, id quod est, non solum complectitur causas essentiæ, sed etiã accidentia essentiam comitantia: ideóque in illis aliud est id quod est ab eo propter quod est: id est, aliud est ipsa forma cum materiæ accidentibus communicans & his quasi concreta, aliud eadem sua ratione ab illis abstracta. In immateriatis autem eadem est ratio formæ, cum huius existentia. Quoniam in existendo (existere autem hic dico quod quocunque modo est) hæc nullis nouis accidentibus circunscribitur. Quæ duo in cæli specie & in cælo hoc sensili acutè Aristot. distinguit cap. 9. lib. 1. de cælo: sicut & Priscianus Lydus cap. 13. commentarij in librum Theophrasti de phantasia & intellectu. In quibus idem Aristoteles quasi inuitus, ea videtur agnoscere quæ ad confirmationem idearũ maximè pertinent. Idem locus est apud Plotinum cap. 2. lib. de idearum multitudine & de ipso bono, qui cum hoc diligenter est conferendus.

4 Sic Aristot. in Analyticis Posterioribus & lib. 2. de anima, ponit tres definitionum differentias. quasdam quæ assignantur per effectum tantum & demonstrationum conclusiones appellantur: alias quæ per causas essentiæ, quæ earundem sunt principia: postremas solo situ à demonstratione differentes, quæ & effectum & huius causam in se complectuntur.

De primo intellectu confirmat quod de formis omnibus à materia separatis, superiore capite dictum est. Deinde agentiũ differentias explicat: mundóque duplici posito, vtriúsque perfectionem inquirit.

Cap. 6.

1 *Intellectus procreatus est purus perfecta procreatione eadémque temporis puncto absoluta.* 2 *Quare eius essentia simul incepit & re ipsa extitit, nulla potestate interfluente. Ex quo apparet eum qui cognouit quid intellectus sit, simul etiam propter quid sit, cognoscere. Quoniam cum*

Deus procreãdo non deliberet, simul rem inchoat candémque perficit: nulla, sicut antea dictum est, interiecta potestate. Itaque de re quæ ab illo eo modo procreata est, separatim à quæstione quid sit, non quæritur propter quid: quia hoc in solam rem imperfectam cadit. Si quis verò contendat nonnunquam contingere vt dicatur propter quid sit intellectus: equidem id dupliciter potest accipi, vno modo ex ratione agentis: altero, ex eo quod ab agente efficitur. Quare cum rationes intellectus nequaquam distinctæ sint, ipse vtriúsque nomen suscipit: nec cum cognoueris quid ipse sit, de illis quærendum est propter quid insint: sed horũ vtrolibet cognito, alterum quoque cognoscitur. [3] *Opifex verò perfectum intellectum procreauit, cum ille reipsa omnino sit, sine vlla potestate permixta, ac ita perfectus vt in eo nihil omnino desiderari poßit, idémque purißimus. Qui ex sua essentia hunc procreauit vt opus proprium, vi ipsius verbi vt operationis suæ: atque vt rem eam in qua idem sit propter quid & quid est cognoscere. Enimuero perfectum agens late patet, taléque est quale veteres esse dixerunt, quorum sententiam postea explicabimus. Agens autem omnino perfectum est quod agit vi solius essentiæ, non per qualitatem: imperfectum contra, quod agit non per essentiam, sed per qualitatem. Quare huius actio pura non est, neque perfecta. Si quidem hanc non eodem puncto inchoat & absoluit. Cúmque sit eiusmodi, non eadem opera in illo cognoscitur quid sit & propter quid: sed priore cognito, adhuc in posteriore ediscendo est laborandum. Primum agens in agendo imperfectum nõ est: quoniam ipsum supra omnia quæ sunt perfectum est.* [4] *Quare & eius*

sæpius dictum, vbi cognitum est quid intellectus sit, simul etiam propter quid sit elucere: magis tamen ipsum quid est ei conuenire. Quoniam rationem actus ostendit.

SCHOLIA.

1 Mira sunt profecto quæ de primo intellectu dicuntur hoc capite, & sequentibus locis multis apertius explicantur. Sed quæ vix probabile est ab Aristotele naturæ genio potuisse proficisci. Quanquam multa eiusmodi de eodem intellectu Dei filio, siue de prima mente omnia mouente & regente, à Platonicis effusa sunt potius quàm intellecta, cum nostra religione magna ex parte consentientia: quæ Plato ipse ex Hebræorum scriptis hauserat. Sic enim ille primę menti in Phędone aliisque locis permultis tribuit principatum, inuentionem rerum omnium, imperiumque cœli & terræ. Ex quo eandem vocat procreatricem, imperatricem, omniumque reginam sapientiam. Et in Cratylo, esse, inquit, iustitiam quam Anaxagoras Mentem dixit, asserit Cratylus: quæ cum sit imperatrix & regina ac princeps nulliqne commixta, eandem tradit omnia creare, per omnia commeantem. Et in Philebo, consentiunt omnes sapientes, inquit, seipsos in eo iactantes, quod mens sit regina cæli & terræ. Et fortè rectè loquuntur. Quam sic Mercurius Trismegistus loquentem facit in Pimandro, Accedo ego Mens ad sanctos & bonos & puros & misericordes & pios. Præsentiáque mea illis est auxilium, per quod statim omnia cognoscunt & patrem inuocant propitium cum dilectione: gratiásque agunt benedicentes & laudãtes, coniuncti cum ipso in charitate. Idémque alio loco, Mens autem, inquit, omnium pater, cum sit vita & natura, peperit hominem sibi similem, quem dilexit tanquam propriam prolem. Et alia apud eundem permulta. de quibus plerá que à nobis collecta sunt cõmentario in Alcinoi institutionem ad doctrinã Platonis.

2 Nam si formæ naturales, quanquam actus sint multo minus puri quàm intellectus primus: tamen cum sua materia vniuntur in temporis puncto: nec prius in hac esse incipiunt quàm reuera omnino insint, idem multo magis de hoc intellectu primo est intelligendum. Vnde enim emanaret in huius procreatione temporis mora & successio? Non quidem ex ipso procreante. Quoniam Deus opifex ad agendum tempore non indiget. Nec verò ex intellectu. Quia hic substantia sua omnino indiuisus est: ideóque nõ potest eius vna pars prius quàm altera procreari. At in rerum naturalium generatione quanquam vt dictum est formæ vnio cum materia iam antea præparata, fiat in temporis puncto, ipsa tamen antecedens materiæ præparatio tempore indiget. Quia materia sua substantia suísque partibus & qualitatibus organicis diuidua est. In quarum conformatione ordo quidam est: propter quem eodem tempore non possunt omnes perfici. Sicut in hominis procreatione animaduerti potest, & ab Aristotele explicatum est cap. 3. lib. 2. de animalium ortu. Vbi ostendit ei semini quod fœcundum fœminæ vtero conceptum est primum inesse animi partẽ altricem: per quam tum imitatur vitam plantarũ. Deinde procedente tempore sensum recipi animálque effici: postremo verò hominem per eam partem in qua rationis est principium. Non enim, inquit, simul fit animal & homo, sicut neque simul animal & equus. Eadémq; in cæteris animalibus ratio. Finis enim postea contingit. Proprius autem est finis cuiúsque generationis. Quod quo-

modo intelligendum sit à nobis disputatum commentario in Alcinoum.

3 Deus enim actus est purissimus, omnis potestatis quæ ad materiam pertinet omnino expers. Quoniam non solum sua substātia omnino immateriatus est: sed in agēdo nihil ea indiget: nec huius qualitatibus organicis. Quæ eadem est Aristotelis sententia in Metaphysicis. In qua quod Thessalus calumniatur Deum omni agendi potestate priuari, id abunde explicauimus eodem commentario in Alcinoum in digressione de Deo. Etenim Deus habet quidem ad omnia agendi potestatem efficacem: sed in agendo nihil cum materiæ potestate communicat. Quia cū materia sua natura impura sit & deformis, cum hac in agendo communicare aut eius auxilio indigere impuritatis cuiusdam est: quam Deo attribuere nefas. Imò apud Peripateticos formæ cælestium corporum vt reliquis naturalibus perfectiores significentur, dicuntur agere tantum ex sese, non per vllam materiæ qualitatem: ne per hanc agendo necessario ratione eiusdem repatiantur. Quod Aristoteles docet cum aliis locis multis, tū maxime libro priore de ortu.

4 Rationes primi opificis in agendo, positæ sunt in ideis: quas vt exemplares causas, procreando in materia imitatur, & quoad per hanc licet exprimit. Homines verò in vita mortali contemplando eas tantum attingunt, non plene eisdem fruuntur. Quoniam, vt Platonici aiunt, propter corporis impedimentum, circa eas similes sumus somniantibus. Ac vt earum quantam possumus cognitionem consequamur, summo philosophiæ munere mors meditanda est animus à corpore separandus, sicut Plato docet in Phædone. In hoc verò consistit eiusdem animi ad diuina cōuersio, & ad illa ascensus. De quō plura sunt apud Plotinum in libro de ascensu ad mundum intelligibilem, & à nobis obseruata in philosophiæ definitione, commentario in cap. 1. Alcinoi.

5 Sic Aristoteles de nomine vniuersi philosophatur lib. 1. de cælo, colligitq́; quod omnia complexu suo continet, quódque omni ex parte, sicut ipsum nomen indicat, perfectum est, id socium alterum habere non posse, ideóque mūdum vnicum esse oportere. A nobis verò dictum est commentario in lib. 2. prioris nostræ descriptionis physicæ, sicut in homine partes corporis naturæ suæ proprietate maxime differentes vnum faciunt vnione formæ à qua regūtur: sic in magno corpore mūdi corpora quinque simplicia, cælum, ignem, aërem aquam & terram, & si secundum proprietatem naturæ suæ à seinuicem distincta sint & tantum ordine quodam se tangentia, non cōtinuata: tamen vt ab vna ipsius vniuersi anima reguntur & vnius magni corporis partes sunt in hoc continuari & maximè proprie vnum facere. Quod si vere dici potest de mundo hoc sensibili, longe verius erit de mundo intelligibili in quo vniuntur exemplares formæ intelligibiles rerum cæterarum: sicut in hoc sensibili mundo vniuntur sensilia omnia.

DE SE-



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SEÇVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis libro 6.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Quomodo stellæ in hæc inferiora agant & vtrum
malorum causæ sint. Cap. 1.

*NEque verò etiã si propositum sit in affectio-
nibus versari, hæ explicãdæ sunt quæ in res
singulas cadũt. Atque nos quidẽ de his scri-
bere volentes quo modo scilicet earũ vi nõ-
nulla efficiãtur, eas causas considerabimus
quæ corporibus addictæ, nõ animales sunt neq; voluntariæ.*
2 *Stellæ igitur quasi mediæ sunt inter artẽ & artificẽ: Neq;
similes agẽti primo neq; materiæ vltimæ, ad perfectionẽ ad-
iumenti aliquid afferenti: neq; iis inter quæ agendi patiendí-
que quædam vicissitudo existit. Verum similes sunt ditionum*
3 *in terra distinctionibus, in quibus singularũ vrbium disci
plina sic est instituta vt propositis præmiis probi ad bonos
mores inuitentur, alij vero metu penæ à vitiis auocentur.
Sunt etiam stellæ his similes quæ mores ciuium in publicis a-
ctionibus ita dirigunt, vt quanquam varij inter se sint &
dissimiles, omnes tamen referãtur ad vnam deliberationem
propositumq́ habeant bonum. Quod si qui fortè obiiciant in*

ditionum distinctionibus signa esse tantum: id quidem verũ esse respondebimus, modo hi signi nomine id intelligãt in quo via quædã est ad rem dirigens. 4 *Nos enim nõnunquã primum ex posteriore probamus, vt effectum ex causa & simplex ex composito. Aliquando autem ex principio accidentia discimus & ex simplicibus composita.* 5 *Ex quibus etiã intelligitur quod erat institutum, vtrum stellæ eorum malorum causæ sint quæ in inferiore mundi parte contingunt. Hoc etenim idcirco non probamus quod earum actiones à voluntate non proficiscantur. Cum illæ voluntate superiores sint, ídque solùm ex volũtate agat quòd bòni & mali principium esse potest: quod vero ipsa voluntate superius est, in id solum quod bonum est, feratur. At mundi inferioris affectiones & præparationes à superiore cum quadam necessitate proficiscuntur: non ea quæ in res infimas & in belluas cadit, sed quæ ad ipsos spiritus résque æternas pertinet. Verbi gratia vna animalis parte sentiẽte, altera quoque sentit, vtque animalis partes omnes ad vnam affectionem reuocantur: sic quæ ex superiore mundo contingunt, in eo quidẽ vnũ faciunt, sed in inferiore magnam varietatem suscipiunt. Quare quod a corporibus cælestibus proficiscitur, bonũ tantum est: malũ autem efficitur cum inferioribus permixtum. Si quidem à superiore mundo tanquam a vita profluit. Ac etiã fortasse quod à superioribus naturæ terrenæ impressum est, aliud agit: quia in hac tantam vim nõ habet, quãtam in eò à quo proficiscitur.*

SCHOLIA.

1 Corporibus addictas affectiones eas appellat quę ad naturalem horum constitutionem pertinent. Quibus ex altera parte opponit animales & voluntarias. Quòd hæ liberæ sint & in nostra potestatæ, illæ non item. Quanquam ex naturalibus affectionibus quiddam redundat in animales & voluntarias. Quia mores

animi sequuntur corporis temperationem, vt Galenus docet vno libro in hanc sententiam conscripto, & Aristoteles initio libri de physiognomia. Sed nihil preter inclinationem, cui obsequi vel resistere nostræ libertatis est & voluntatis. Ex quo dictum est.

Sapiens dominabitur astris.

2 Primum agens, id est naturę vniuersæ opificem & moderatorem deum, comparat cum arte, quæ, vt ille, mouet omnia manens immota: Naturalem vero formam materiæ addictam, cum artifice, qui non potest sine instrumentis agere: vt neque hæc, sine qualitatibus & partibus materiæ organicis. Stellásque & ab iis influentes virtutes in hæc inferiora, vult esse medias inter deum & materiatas formas. Quoniam illæ materiatis formis (sic enim naturales appello quæ in agendo, cum materia necessario communicant) dignitate & virtute superiores sunt: deo autem longo interuallo inferiores. Atque deus in ipso naturæ ordine naturalia corpora conseruat & regit per mediam virtutem quæ à cœlo & astris influit. Quare Aristoteles initio Meteor. scribit mundum hunc inferiorem cœlesti continenté esse oportere, vt eius virtute regatur. Et idem cap. 10. & 11. lib. 2. de ortu, docet vicissitudinem ortus & interitus in iis inferioribus in hácque fluxium sempiternitatis, in conseruatione speciei per similium procreationem, à cælestium corporum motu pendere. In quibus posita sunt prima fundamenta magiæ naturalis. De quibus vide plura apud Marsilium Ficinum in iis quæ collegit ex Iamblicho de Mysteriis Aegyptiorum.

3 Terrarum banna dixit Italus horum librorum barbarus interpres, ex lingua Arabica. In quo mihi laborandum fuit in delectu sententiæ, propter huius vocabuli multiplicem significationem. Bannum enim vulgo, vexillum significat: quo continentur imperij vel ditionis insignia. Vnde bannire, pro eo quod est extra fines ditionis aut imperij aliquem relegare. Quia veteres cum hoc faciebant, publica imperij vexilla præferri solebant. Bannum etiam nonnũquam pro ipso exilio vsurpatur: quo vt Oldendorpius ait, omnia humanitatis iura communicationésque officiorum, & commercia rebellibus interdicuntur. Idque ad rectè instituendam ciuilem disciplinam qua probi in officio retineantur: improbi metu pœnæ à flagitio reuocentur. Quæ duo ad eliciendam loci huius sententiam, coniungi possunt.

4 Duo hi docendi modi à philosophis vsurpantur & in definitione simplicium & in demonstratione coniunctorum & in methodi perpetuitate. Nam definitio, quædam est quæ assignatur tantum per effectus essentiæ, quæ demonstrationis est conclusio: alia per caussas essentiæ, quæ demonstrationis principium nominatur. Ac in demonstratione eædem duæ differentiæ ab Aristotele pluribus explicatæ sunt cap. 10. lib. 1. Analytic. post. In methodo autem has etiam locum habere, à nobis videtur esse effectum contra Thessalum in vtraque disputatione de methodo. Sed quo modo hæc in authoris contextu cum superioribus coheret? An ea dicuntur vt indicet celestia corpora ex rebus effectis in his inferioribus, magis quam ex causis essentiæ nobis esse cognita? Etenim admirandam eorum virtutem in effectis perspicimus. Quomodo vero ab eorum essentia talia proficiscatur, aut quæ horum in essentia causæ sint, dicere non possumus. Vnde illa occulta vis ad quam solemus confugere cum de rebus eiusmodi interrogamur.

5 Questio hæc pluribus explicatur à Plotino libro de stellis, vtrũ aliquid agant. Nam capite 2. docet stellas si inanimatæ sunt, causas non esse nisi rerum corporearum: si vero animatæ, eorum tantum in nobis authores esse quæ bona sunt. Si enim, inquit, animatæ sunt agántque consilio, dic, amabo, quid nam iniuriæ à

nobis acceperint, vnde nobis sponte quotidie noceant? presertim cum in sede diuina collocate sint & ipsæ diuinæ? Non enim illis hęc accidunt quorū causa homines mali fiunt. Neque omnino ex humana siue prosperitate, siue aduersitate, boni quicquam vel mali illis accedit. Idem cap. 6. contrariam opinionem variis rationibus reprehendit. Atque paulo post ostendit rerum in modo hoc inferiore futurarum, significationem aliquam in stellis esse positam, nō tam quod hæ illarum causæ sint, quam quod mirabilis quædam sit horum inferiorum cū superioribus connexio. Ac tandem concludit, quod Platonis testimonio confirmat, animum in nobis esse duplicem, vnum communicantem in corpore, qui è celo dependet fatóque subiectus est: alterum à deo datum ideoque extrinsecus aduenientem, nec cum corpore communicantem: qui liber est à fato, & quem virtus ab astris influens, cogere nullo modo potest.

Ex superioribus positis de cæli virtute in hæc inferiora influente, repetuntur prima fundamenta effascinationis, huiusque modi varij distinguntur. Cap. 2.

1 *Effacinandi ratio duplex est. Vna ex rerum concordia earúmque inter se proportione: altera illi contraria, ex dissimilitudine virtutúmque multitudine. Quæ licet diuersæ sint, vnam tamen partem perficiunt: Atque fascinandi quidem ea ratio quæ arte constat, fallax est: quoniam suo fine plerūque excidit. Vera autem & minimè fallens altera, quæ ad sapientem pertinet. Si quidem hic animi comprehensione cælum imitans, omnia pro viribus agit: quædámque ducit pro vnius rei ad alteram amore, alia trahit pro eo imperio quod vna res in alteram obtinet. In quo illi adiumento sunt virtutes rebus terrenis ingenitæ. De quibus quædam vnius rei ad alteram amorem augent, aliæ ad patiendum atque recipiendum ab altera, propensionem maiorem afferūt. In ipsarum enim rerum consecutione, fundamentum est fascinationis: illæq; cognitæ, maxime cōseruantur ad exercendam vim amoris efficacis. Porro ea fascinatio quæ absoluitur verbis suauibus acutóque sermone & callido, loquentis opus non est, sed cogitationis sermoni subiectæ: quæ vnum ad aliud trahit vi eius amoris quo res ipsæ secundum naturam con-*

ciliatur. Est enim aliquid quod animos interuallis locorum disiunctos conciliat per mutuā inter illos concordiā. 2 Atque etiam nōnulla sunt quibus inest vis amoris eiusmodi vt sentiens nonnunquam inuitus sequatur: non aliter quam musicus aliquando sua sponte mouetur ad artis concentum: nonnunquam gestu corporis eundem sequitur, nec tamen illum rationis iudicio amat, sed sensu. Atque hæc species fascinationis est quam vulgus nec admiratur, nec odio habet: quoniam ipsa consuetudine familiaris effecta est. Admiratur autem alias naturales: quoniam illis non oblectatur, eoque errat. Ac sicut musicus delectat & allicit audientem, affecto quidem sensu, ratione tamen minime patiente: sic fascinator alium initium trahit, non quidem intellectu cognoscentem vel sensu, sed tantum impreßionis vi percipientem quēdam impetum à naturali diuersum. Hic vero proficiscitur à communione actionis inter res ipsas, quæ hominem immutare potest & à pristino statu euocare. Quare si quæ impreßio facta percipitur, ea ad animalem spiritum pertinet, non eam ratio suscipit: quoniam illam non sequitur. Si vero ratio audientem adiuuat hícque ad illam declinat, non idcirco permittit spiritum animalem à musico pati, aut ab ipso fascinatore, aliáve qualitate ad corpus inferius pertinente. 3 Atque vbi fascinando aliquis solē aliásve stellas inuocat, obsecrans vt instituto opere absoluendo adiuuent: non equidem sol aliæ ve stellæ orationē illam audiunt, sed certo quodam modo mouentur. Nempe vt in corpore húmano membrum vnum percepto alterius motu mouetur, & in cythara vnius corde agitatio, in alteram redundat: sic ab aliquo quædam mundi partes mouentur & propter has, alias quo-

que, quæ earum motum percipiunt, moueri contingit. Sunt enim omnes mundi partes ordine quodam distinctæ, secundum eam rationem quam habent adinuicem. Et vt habent animalis partes quendam consensum in motibus qui accidunt propter maximam naturæ communionem, sic in mundi partibus est intelligendum.

SCHOLIA.

1 In iis, sicut antea indicaui, posita sunt prima fundamenta Magiæ. Quæ duplex esse dicitur. Vna impura & Christianis legibus merito damnata: quoniam hæc impia cum immundis spiritibus communicatione, horúmque euocatione, varia superstitione hominum animos replet & à dei cultu auocat: altera naturalis, quæ philosophiæ summam perfectionem in se continet & per occultum vniuersæ naturæ consensum plerāque efficit quæ quia communes vires excedūt, vulgaribus miracula esse videntur. Hæc vero si vt decet tractatur, non modo a deo non auocat sed per naturalium obseruationem in dei admirationem erigit. Sed ab hac facilis est ad illam priorem declinatio, nisi animus veri dei cognitione & rectæ religionis cultu retineatur. Quare veteres Platonici hísque antiquiores Pythagorei & qui vtrósque in philosophando postea sunt secuti, in magia naturali sic se exercuerūt, vt etiam in euocatione spirituum excelluerint, ac per hos multa perfecerint quæ humanas vires superabant. Sic Apollonius Tyaneus Pythagoreus, consecutus est vt à nonnullis non modo Christo æqualis, sed maior diceretur. Sic Plotini suámque cum demonibus communicationem celebrat Porphyrius in explicanda vita huius, quem in philosophia magistrum habuerat: Corneliúsq; Agrippa & Petrus Aponensis inter recenriores, eadem arte in edendis suis præstigiosis miraculis communem hominum industriam longo interuallo superarunt. De duplici magia vide Agrippā cap. 39. lib. 1. de occulta philosophia. De ea autem fascinatione de qua hoc loco agitur, vide eundem cap. 50. lib. eiusdem & Marsilium Ficinum in lib. Synesij de somniis. Quæ etiam a Vergilio variis versibus adumbrata est Ecloga 7.

2 In concentu musico magnam esse vim ad afficiendos animos in vtramque partem ex Platone Cicero docet lib. 2. de legibus. Quoniam ille excitat languentes & languere facit incitatos, contrahitque animos & remittit. Quod ad fabulas referens poeta dixit Orpheum saxa mouisse sono testudinis. Eodem etiam demones aëreósque spiritus variè allici, pleni sunt libri eorum qui de hac occulta philosophia scripserunt. Nec vero id alienum ab his quæ sacris literis sunt prodita.

3 Sic apud poëtam, eadem Ecloga

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam. Et apud Mercurium Trismegistum huius naturalis magiæ principem, exempla sunt varia earum orationum quibus solem reliquásque stellas veneratur & colit. Vnde hæc in deos postea translata falsa religione vel potius impia superstitione, multorum animos impleuerunt. Ex quorum errore dictum illud est à Masinissa Numidiæ rege apud Ciceronem in somnio Scipionis, Grates tibi ago summæ Sol vobísque reli qui cælites, &c.

Fascinandi vim potissimam à cælo emanere : hac tamen virum iustum esse superiorem, præsertim ea animi parte in qua principium est rationis & intelligentiæ. Cap.3.

1 Res inferiores miris fascinãdi viribus præditæ, hàs ab orbibus cælestibus accepe rũt, per quos etiam agunt. Quare homines in fascinando astutè inuocationibus vti solent : vt id ex se facere videantur. Quanquam nõ ita est, sed per motum vímque ab illis orbibus influẽtem id faciunt : ideóque etiam prætermissa eiusmodi inuocatione, res ipsæ naturæ vi suo tẽpore fascinarent. Si quidem partes mundi vnitæ, secundum naturam se mutuò trahunt: ex eoq; accidit quod antea dictũ est, vt qui inuocando fascinat, idem quoque per vires naturæ accommodatas operetur. Neque vero mirum videri debet hominem imprecando exaudiri. Quoniam à cælo alienus nõ est: maximéque si iustus est. In quo si quis contẽdat nonnunquam etiam iniustum, inuocando fascinare : dicamus hunc virtutem eiusmodi ex eodem fonte cũ iusto haurire. Si quidem natura vires suas in omnes communiter distribuit, nec vnum ab altero discernit : sed potestas quædam est superior atq; nobilior, à qua illa distinctio proficiscitur. 2 Si quis autem hoc etiam opponat, vniuersum ratione partis vnius pati, ratione alterius agere, hancq; cælestem esse & impatibilẽ quæ in inferiora suapte natura, non aduentitia quadam vi agat, quoniam omnia quæ agendo impatibilia sunt, suapte natura non aduentitia vi agunt & si quid aliter contingat, præter institutum potestatis contingit: dicemus partem vniuersi superiorẽ, cælestem scilicet, quæ primaria est eadémque nobilis, sua vi agere & eandem tamen ratione partis vnius ab altera nobiliore pati. Non quidem eo modo quo inferio-

ra pati dicuntur, quoniam nullam recipit impreßionem quæ corporibus vel animis accidat, sed in ea, superiora in inferiora corpora animósque, sine vlla imperfectione agere: Si quidem omnia firma permanent mutationísque expertia. Rursum vero si quis hoc inquirat, nunquid fascinatio in hominē probum purúmque cadat; quod cum illa in rebus aliis magnum vim habeat, in hoc lōge maiorem habitura videatur: 3 dicemus virum iustū fascinationis vim non recipere in ea animi parte in qua rationis est principiū: & si qua sui parte patitur, id in ea illi accidere quam cum vniuerso animaliū genere communem habet & cuius origo ad inferiorem mūdi partem pertinet. Ita tamen vt neque in hac fascinator institutum suum consequi poßit, nisi ipsa ratio assentiatur. Quoniam fascinationis vi quædam spiritui animali imprimūtur, si animus rationis particeps illum præparet: alia vero non imprimuntur, si eadem præparatio deest. Nititur enim fascinator in spiritum animalem agere, sed eius actionē ratio repellit: siue ea ad mortem pertineat, siue ad morbum, siue ad alterius corporeæ affectionis impreßionem. Et quidē animus rationis particeps in eam partem agit in qua sensus est principium (quoniam pars vnà mundi agit in alteram, si in primo opifice fidem nacta sit) túmque homo à fascinationis vi liber euadit. Nam si pars animi sentiens per aliquod interuallum distans, recipit impreßionem sermonis fascinātis ac per auditum trahitur cum ipsoq; fascinante coniungitur, atque ei quodammodo respondet, quanto magis eadem in mundo inferiore proxima ei in qua rationis est principiū, præsto aderit eidémque respondebit atque parebit?

SCHOLIA.

1 Res lunæ subiectæ, à cælestibus orbibus acceperunt naturæ suæ primam originem. Quoniam quod ab Arist. dictum est lib. 2. Physic. à sole & homine hominem generari, id necesse est patere latius ad hæcque omnia pertinere. Et quia, vt priore parte nostræ descriptionis Physicæ pluribus disputauimus, formarum omniũ cælestis est origo, ac in naturalibus formis ipsum agendi principium, merito res hæ inferiores per cælestes orbes dicuntur agere. Addunt verò studiosi naturalis magiæ obseruatores, in singularum rerum ortu speciales quosdam esse astrorum aspectus & coniunctiones à quibus speciales quoque profluũt rerum virtutes, secundum quas in iis inferioribus pleraque agunt, nonnulla etiam patiũtur. Quod pluribus expositum est à Cornelio Agrippa libris de occulta philosophia.

2 Non sunt hæc aliena à physica Aristotelis doctrina. Hic enim docet ea sola agendo pati, quæ agunt per aliquam materię qualitatem alteri contrariam, tanquam per instrumentum. Cœlum autem agere ex sese & per solam suæ formæ endelechiam. Ex quibus concludit hoc semper agendo, impatibilem naturam seruare, & suo motu hæc calefaciendo, omnino caloris expers esse: ne à contrario frigore quicquã patiatur. Et tamen in hac puritate quintæ essentiæ cęlestis, idem lib. 1 Meteor. gradus quosdam inesse ostendit: lunámque quo propius ad terram accedit, eo magis à summa cælestium corporum puritate declinare. Quo modo hic indicat in cęlo superiorum orbium astrorúmque virtutem in orbes inferiores stellásque quæ his insunt, influere, ac illam in his recipi: nec tamen has ab illis vllo modo pati.

3 Dignissimum obseruatione quod hoc loco dicitur, virtutem quæ ab astris influit nullam habere vim in eam animi nostri partem in qua rationis est principium: nisi quatenus hæc deiicit se de gradu suæ dignitatis & obsequitur his motibus qui exoriuntur de parte animi inferiore: in quam cælum vim habet maximam. Quare plerique de his philosophis qui in cęlestis illius virtutis in hæc inferiora influentis, connexione & quasi concatenatione, fatum posuerunt, partem eandem animi qua ratiocinamur & intelligimus, supra fatum esse dixerunt. De quo scitum est quod Plotinus eo libro quo inquirit vtrum stellæ aliquid agant, toto cap. 9. disputat, animum qui in nobis dependet à cælo, fato subesse: qui vero datur à Deo, liberum esse fato & ab eodem nos liberare posse.

Ex superioribus colligitur in nonnullis hominibus faciliorem, in aliis difficiliorem esse fascinationem. Cap. 4.

1 *Qui in externam aliquam affectionem procliuis est, facile recipit impreßionem fascinationis, naturæ suæ respondentis. Hanc enim quodam modo allicit: nec eius quicquam à se repellit.* 2 *Virum autem in exteriora minimè declinantẽ tantúmque in essentiam suam incumbentem, quam semper contemplatur ac diligit, fascinator immutare non poteſt. Facile etiam aduentitiam fascinationem recipiũt qui externis actionibus sunt dediti. Quoniam quasi sua sponte ad eam*

O

*accedunt, hæcq; in illis excitat ſui oblectamentum.*3 *Non aliter quam is qui intellectu maximè viuit, vbi mulierẽ formoſam conſpexit, eandem amat atque expetit, ſine vlla faſcinatione quæ arte conſtet. Naturalis enim faſcinandi vis virum ad mulieris formam allicit illúmque cum hac coniungit, non loco, ſed animo. Quare nonnulli cecinerunt hominem pulchrum re vnicum, quodam modo eſſe multiplicem, vt ſignificarent eum qui pulchrum hominem intuetur, eundem diligere, nec propter formam ab illo diuelli. Ex quo accidit vt amatus ab amante diſtinguatur. At in virum contemplãtem, & in externas actiones minimè incumbentem, faſcinatio non cadit. Quoniam per ſenſum non cõiungitur cum iis rebus quæ faſcinandi vim habent. Quod vero homo qui videt & videtur quodammodo vnum ſint, ſermo verus eſt, nec à ratione alienus.*

SCHOLIA.

1 Sic inter patibilia corpora, ea promptiſsime patiuntur quę cum agentibus maiorem habent naturæ communicationem, & ad patiendum preparationem. Ipſa verò faſcinatio, paſsio quædam eſt: ad quam preparatio, poſita eſt in occulto quodam naturæ conſenſu. Hoc modo qui ipſa corporis conſtitutione & ingenita proprietate ex temperamento pendente, ad amorem procliuis eſt, facile in ſe recipit ad amorem externam faſcinationem: non item is qui ſuapte natura ab amore abhorret. Quod de ceteris affectibus eodem modo iudicandum.

2 Ex Platonica doctrina hominis eſſentia in animo eſt poſita, & in ea animi parte qua ratiocinamur & intelligimus. Quo modo Cicero dicere ſolet talem eſſe vnumquémque noſtrum, qualis eſt animus. Quare in ſuam eſſentiam incumbere dicitur qui neglectis ſenſibus corporeis, animo ſe ipſe contemplatur & quoad poteſt ſe ipſum cognoſcit: id eſt ſuam à deo originem & cum eodem admirabilem quandam naturæ communionem. In quo ſumma eiuſdem hominis ſapientia, Apollinis oraculo eſt poſita. Hoc vero qui inter homines præſtare poteſt, ſuperior eſt omni faſcinatione. Quoniam hic animo ita viuit in corpore, vt cum hoc nihil communicet. At in hac communicatione, omnis faſcinationis fundamentum eſt poſitum. Quare dictũ eſt antea, ſapientem aſtris dominari: & ex Plotino, eam animi partem qua intelligimus fato eſſe ſuperiorem.

3 Plinius cap. 2. lib. 7. naturalis hiſtoriæ, refert ex Cicerone fœminas omnes vbique viſu nocere quæ duplices habent pupillas. Et apud Platonẽ tam in Sympoſio, quam in Hippia maiore, multa commemorantur de vi ipſius pulchri ad amorem excitandum. Quæ Cicero lib. 1. officiorum, referens ad honeſtum,

formã honesti Marce vides, inquit, quæ si oculis corporis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ. Sed hoc loco id mihi mirum est quod dicitur hominem qui intellectu maximè viuit, conspecta muliere formosa, ad huius amorem excitari: cum hoc potius dicendũ videatur de homine ad sensum demisso, quem animalem appellant. An hoc intelligendum de prima ad amorem titillatione: quam fortasse significare voluit ne in ipsius quidem sapientis esse potestate?

Fascinationis initia altius repetuntur ex ipsa natura, atque ostenditur vitia omnia, in quæ nostra sponte incidimus, à quadam animi fascinatione proficisci. Cap. 5.

1 *Rem vero vnam ab altera, ad aliud moueri, ex eo apparet, quod à liberis parentes ad labores excitantur: quibus hi illos seruare poßint & alere: In iisque etiam cum defatigatione voluptatem capiunt, nec eorum prius finem faciunt quam voti sint cõpotes.* 2 *Innata quoque hominibus est imperij cupiditas, quæ iram excitat, & iracundas actiones, aliósque motus molestos & rationis expertes, vt tandem imperio potiantur. Ad hæc, naturæ indigentia paupertatísque metus faciunt vt diuitiæ expetantur: ne quid ab illis mali contingat. A quibus diuersa quoque est oculorum concupiscentia. Appetito enim à naturæ indigentia imprimis proficiscitur: quòd illa sine rebus externis seruari, alique nõ poßit. Si quis vero cõtendat eum qui benè vitam instituit, non fascinari, quemadmodum neque eum qui bene consulit: nos quidem dicimus virum cõtemplationi deditum rectè vitam instituentem, si ad alia non transfertur, nihil fascinationis pati. Quoniam talem se conseruat, vt vero bono perfruatur: atque in hoc solum incumbit, non declinans ad ea quæ terrena sunt, sed cogitatione defixus in mundum qui sola intelligentia percipitur, huius vitam perpetuam expetens atque in eadem imitanda laborans.* 3 *Qui vero in ea quæ mala sunt, ignoratione quadam incidit, hæc bona esse arbitratus,*

in eiſque perſeuerat ad quæ pertrahitur, hic à natura faſcinatus eſt falſa pulchritudinis ſpecie. Quoniam ea quæ terrena ſunt, pulchra eſſe veréque bona arbitratur, atque idcirco eadem vehementer concupiſcit. Itaque id expetens vt bonum, quod reuera bonum non eſt, ea appetitionis parte quæ cum ſenſu coniungitur, faſcinatus, ad rem inuoluntariam trahitur. Sic enim faſcinati amor fixus eſt. At qui non trahitur ad ea quæ terrena ſunt, nec illa vt pulchra aut bona ſequitur, is in faſcinationem non incidit. Si quidem æternum bonum contemplatur idémque expetit & obſeruat, ſeq̃ ipſe intuetur. Quare hac mentis elatione ſupra hæc inferiora excitatus, omnem faſcinationem à ſe repellit. Effectum eſt itaque, quod dicebamus, quamlibet mundi partem ab orbibus celeſtibus pati, pro varierate naturæ ſuæ, proque huius præparatione: quemadmodum in animali pars vna corporis ab altera patitur. Quoniam vnicuique ſua ineſt proprietas & quædam aptitudo ad ſubeundum motum ab altero proficiſcentem.

SCHOLIA.

1 Ingenitus enim eſt, & cum vniuerſo animalium genere communis liberorum amor & cura quædam eorum qui ex nobis procreati ſunt. Quo ſic pleríque faſcinantur vt non modo nullum laborem recuſent in horum ſubleuãda indigentia: ſed facile veniant in obliuionem iuris & æquitatis omnis, dum eos locupletare conantur quacunque ratione.

2 Hæc imperij cupiditas non ſolet quoſuis homines (vt fere liberorum amor) ſine diſcrimine faſcinare: ſed eos maximè, quibus animus ab ipſa natura melius videtur informatus. Hic enim, vt Cicero ait. 1. Offic. nemini parere vult niſi precipienti, aut docenti, aut vtilitatis cauſa iuſtè & legitimè imperanti. In contentione autẽ de imperiis & honoribus quia non poſſunt plures excellere, difficillimum eſt ſanctam ſeruare ſocietatem. Vt non immeriro illud dictũ ſit ab Ennio. Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt. In quo etiam vis ipſius faſcinationis apparet.

3 Omnes enim humanæ actiones feruntur ad id quod, aut reuera bonum eſt, aut huius falſam ſpeciem præ ſe fert. Atque ſicut oculus faſcinatus eſſe dicitur qui in proprio munere & circa proprium obiectum aberrat: ſic mentem non niſi faſcinatam, contingit pro bono aut pulchro expetere, quod ſuapte natura malum eſt aut deforme, ſed falſam & fucatam boni aut pulchri ſpeciem præ ſe fert.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 7.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Cur animus qui in nobis rationis & intelligentiæ principium, è cælo in corpus descenderit: quidque commoditatis, in cælum postea reuersus, ex eodem corpore reportarit. Cap. 1.

1 *ANimus nobilis, reliquit mũdum superiorem vt posteriora informet & regat. Quo munere perfunctus & ad eandem mundi partem reuersus, hanc vtilitatem cõsequutus est quod boni maliq́ naturam experientia didicit, quàm alioqui perfectè scire nõ potuit. Neque tamẽ illam spirituũ more cognoscit.* 2 *Quoniam hi vitia voluptatésque quibus homines in vita hac inuoluuntur, non in natura sua cognoscunt, sed secundum rationes quas in se veras continent. Quia spiritus eiusmodi, dignitatem maiorem adepti sunt, quam vt ad hæc possint descendere. Qui si eo modo quo animi humani, illa cognoscerẽt, corporis quoque communione contaminarentur, & ab eodẽ diuulsionem tẽtarent. Præsertim cum illi rationis participes, hîc cum materia coniuncti eiusdémque sordibus infecti, ea per eiusmodi coniunctionem discernant. De quibus si quis*

mundus permanserit, is à corpore separatus, summa felicitate perfruetur. 3 *Quæ posita est in cõtemplatione spirituũ eorúmque quæ nobilissima sunt atque primaria. Ipséq; eo modo perficitur, ad discernendam vtriusque mundi conditionẽ. Quanquam verò hic in mundo inferiore vincente sensu, in materiæ pelagus demersus sit & naturæ finibus conclusus, eiusdem tamen ab intellectu illustratio nõ intermittitur: sed semper influit. Quoniam hæc ad illius essentiam pertinet, nec ab ea vnquam diuellitur. Quare animi in corpus descensus, hoc attulit, quod ille per experientiam bonum à malo perfectè potuit discernere: omniáque quæ ad inferiorem mundum & ad huius naturam pertinẽt. Dummodo ille integras virtutes seruet rectásque actiones, quarum in mundo altero erat particeps. Si quidem hæ nullæ essent nisi absoluerentur & sensibus fierent manifestæ: sine quo eas adhuc animus continere videretur, quas prius habuit reconditas. Quod perinde esset ac si ipse nunquam fuisset. Ex quo etiam efficitur non apparentibus eius viribus, superiorem mundum intelligibilem ignorari oportere. Quoniam cum ex iis quæ procreata sunt aliquid sub aspectum cadit quod pulchrum sit, illustre & appetendum, homo magna cum admiratione intuetur manifesta huius insignia, rimatúrque etiam interiora. In quibus ipsum opificem veneratur, quòd huius opus pulchrum esse sentiat & summam perfectionem adeptum: quòdque in eo summum bonum sit, cuius virtus est infinita. Post opificem & huius opus primum, reliqua quoque honorata & perfecta abundè apparent. Quia eorum quæ opifex, qui vnicus est, procreauit, manifesta insignia latere non possunt.*

SCHOLIA.

1 Addūt Platonici, hunc descensum animi intelligentis in mundum inferiorem & in humanum corpus, dei prouidentia institutum esse, vt nulla pars vniuersi, naturæ intelligentis (in qua dei imago maximè relucet) sit expers: vtque per hominem extrema vinciantur in medio, id est natura incorporea & diuina cum impura, & caduca quo ad potest vniarur. Quare nonnulli dixerunt hominem esse quodam modo omnia & rerum cæterarum regulam: quod omnium eorum quæ sunt, duas extremas differentias in se complectatur, per quas de reliquis facile possit iudicari.

2 Hoc ad cælestes intelligentias referendum. Illæ enim mala cognoscunt non hæc in se expertę (nefas enim dictu) sed per horum rationes. Quanquam neque malorum propriè & per se rationes sunt, quoniam eorum apud Platonicos nullę ideę, quas per ipsas rationes hoc loco oportet intelligere. Sed mala cognoscunt per ideas bonorum, in quibus est malorum ratio, sicut in recto ratio & regula obliqui.

3 Hęc summa vtilitas est quam pręstat vniuersę naturę contemplatio modo ea rectè instituatur: id est modo materię nimium addicta non sit, sed potissimum relata ad formas interiores essentię in quibus dei opificis imagines varię suisque gradibus perfectionis distinctę relucent. Id enim est quod ex Anaxagorę Physicis Socrates potissimum expetiuit: quodque quia ex his minime consequebatur, idcirco se à rerum naturalium contemplatione reuocatum idem testatur apud Platonem in Phed.

Vnde rerum procreatarum varietas extiterit: quoque ordine res à deo procreatæ, per medium intellectum in animum, hinc in corpus organicum & patibile desinant. Cap. 2.

1 *Si primum ens vnum in essentia sua quieuisset ac cohibuisset facultatem suam, operationemq́ & illustrationem, nihil eorum existeret quæ vel perpetua sunt, vel commutabilia atque caduca. Si autem neutrum horum extitisset, opus primi opificis rationem principij non haberet: sicut neque luminis, neque eius quod verè bonum est, Quod nequaquam potuit contingere. Quoniam si id quod vnum est atque primum, vera causa est: opus etiam eius verum oportet esse principium. Et si vera lux est quæ influit, verum quoque lumen esse quod illam recipit. Itémque si in illo est vera bonitas irrigans, verè quodque bonum esse, quod ab illa irrigatur. Quare non erat consentaneum deum solum existere*

neque hunc nihil aliud procreare, intellectum ſcilicet lucis ſuæ nobile receptaculum. 2 Neque vero ab ipſo deo ſolus intellectus extare potuit, nullo alio exiſtente quod luminis ab hoc emanantis ſplendorem exciperet. Qua ratione animum etiam conformauit. Qui infra intellectum in ſuperiore mundo, ita eſſe ſolus non potuit vt alterũ nihil eſſet quod huius operationes exciperet. Atque eadem de cauſa hic è mundo ſuperiore deſcendit, ad declarandas facultates actionéſque vitæ nobiles, quibus abſolutus eſt. Quoniam natura huius quoque operi eſt ſubiecta. Amplius etiam hæc inferius aliud quiddam informat quod patibile eſt & ingenita facultate comparatum ad recipiendas impreſsiones illius ſuperioris trahentis. Si quidem omnia ſuperiora agunt in ea quæ minora, inferioráque ad ſe attrahunt.

SCHOLIA.

1 Primum ens, quod Platonicis eſt ipſum bonum, non potuit bonitatem ſuam non communicare: ſicut ſol quadam naturę neceſsitate lumen ſuum rebus aliis communicat. Communicauit autẽ procreãdo, primum quidem intellectui deinde per intellectum animo, per animum naturę vniuerſę. In quo ordine admirabilis rerum harum inferiorũ cum ſuperioribus connexio & in connexione ſympathia, cuius vires in vniuerſitate ſunt inexplicabiles. Hinc queſtio apud Platonicos & peripateticos, de mũdi ęternitate, An ſcilicet deus, ipſum bonum, eſſe potuerit cum non ageret, bonitatémque ſuam non communicaret: cuius omnis communicatio, in procreatione rerúmque procreatarum conſeruatione & moderatione videtur conſiſtere.

2 Hic ordo in vniuerſo diligenter obſeruãdus eſt, & in eodem ordine formarum naturalium origo à primo opifice, per medium intellectum & animum. Vt hoc opponatur materiatis philoſophis, qui formarum cæleſtem originẽ eſſe negant: eaſque volunt de materię poteſtate (quę eiuſdẽ fex eſt & impuritas) excitari.

Formæ rerum naturalium materiæ addictæ, cum cœleſtibus intelligentiis, materiæ expertibus, in agendi facultate & modo comparantur: harúmque omnium inter ſe ordo iterum explicatur. Cap. 3.

1 De ſubſtantiis quæ intelligendi vi ſunt præditæ, déque his quæ natura conſtant, nulla omnino eſt ocioſa preter ſubſtantiam

tiam infimam, omniúmque maxime imbecillam: cuius actio non poteſt apparere. Nullam vero ſubſtantiam naturalem ocioſam eſſe poſſe ex eo intelligitur, quod ſemina cum terræ mandata ſunt (niſi fortè nonnunquam à loco ambiente obruantur) quoniam 2 ſpiritu plena ſunt & quadam ex parte cum iis communicant quæ corporis expertia, neceſſario agunt, donec ſimile quiddam ſecũdum ſpeciem procreauerint. Idq; ex eo accidit quod iis inſint rationes ad intellectum pertinentes coniunctæ, quæ alioqui aſpectabiles non eſſent. Sunt autem eiuſmodi cum ſuas actiones edunt cúmque in iis miras facultates oſtẽdunt. Quare ſi rationes quæ ſeminibus inſunt, non poſſunt eſſe ocioſæ, multo minus intelligentiæ perpetuæ, actiones ſuas cohibere poſſunt: niſi forte ſubiectã habeant materiam quæ impotens ſit ad eas recipiẽdas, aut quæ illas eouſque debilitet vt in rem alteram agere non poſſint. Itaque intellectus vim ſuam immittit in animum, hic in vniuerſitatem naturæ, influentibus virtutibus ſuperioribus atque nobilibus. Neque enim quieſcit ſubſtantia corporea ad motum comparata, neque ex ſe vitam habet: ſed pro varia conditione, ab animo vim bonitatémque capit. Quoniã primus opifex propriam actionem abſolutam edidit, intellectui proximã, qua deinde intellectum ipſum procreauit. Poſtea vero per intellectum vt cauſam intermediam, animo dedit originem: cuius virtus ſubinde in mundum hunc influit. Primáque forma quam expreſſit, fuit materiæ primæ. Quia principium eſt ex quo conſtant ſubſtantiæ corporeæ, eædémque in ſenſum cadentes. Quarum vt in ſenſum cadentium, hoc ipſo quod principium eſt, formæ bonum prius ex animo mutuatur. Et enim qualibet ſubſtantia in ſenſum cadens,

bonum formæ continet, pro sua capacitate ad aliud recipiẽdum. Prout vero materia ab animo formam suscipit, naturæ causa est. Quæ vi eiusdem causarúmque efficacium, procreandi facultatem continet. Deinde ad naturam terminatus est ordo formarum intelligendi vi præditarum atque efficacium. Naturæ autem insita sunt generationis principia. Quæ cum agant informéntque substantias, sine illa naturæ actione esse nullo modo possunt. Quoniam eiusmodi essentiæ intelligendi vi præditæ, à prima causa hoc acceperunt quod effectrices sunt formarum aduẽtitiarum, earúmque quæ ortui & interitui obnoxiæ.

SCHOLIA.

1 In natura quasi extrema duo definita sunt, deus, actus primus & purissimus: materia, prima potentia impurissima. Illius propria est perpetua & sine vlla defatigatione actio: huius stoliditas & ad agendum ineptitudo: aptitudo autem ad patiendum quidlibet. Formæ vero omnes quę interiectę sunt, hoc quidem appetunt vt semper agendo deum imitentur: sed quæ ex iis cum materia communicant, hoc semper præstare non possunt: quoniam materiam uon habent sine defatigatione obsequentem. Porro quia forma omnis Aristoteli, prima endelechia est, ex his potest intelligi cum Cicero prima Tuscul. endelechiā perennem motionem & agitationem interpretatus est, hunc etiam si fortasse verbo non omnino respõdeat, ab Aristotelis tamen sententia non recedere.

2 Locus hic intelligendus de spiritu qui insitus plantarum semini, hoc ipsum fœcundum reddit. De quo in animalium semine sic scribit Arist. cap. 3. lib. 2. de eorundem ortu. Inest, inquit, in semine omnium qnod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur. Idque non ignis, nõ talis aliqua facultas est, sed spiritus qui in semine spumosóque corpore continetur, & natura quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.

3 Rationes ad intellectum pertinentes vocat rerum formas specificas, quæ in naturalibus cum materia sunt coniunctæ: in cælestibus autem intelligẽtiis ab eadem omnino separatę. Ex quo cõparatio ducta est quę hoc loco vsurpatur. Nam si formæ per se efficaces sunt, & ad agendum promptissimæ: materia vero ad omnem actionem inepta, formæ cum hac coniunctæ minus erunt efficaces quàm cęlestes intelligentiæ ab eadem separatæ. Quare si formæ naturales, quamquam sua materia grauatæ, ociosæ esse non possunt, cælestes intelligentiæ multo magis in perpetua actione sine vlla defatigatione vigebunt. Hoc erit reliquum vt qualis harum actio sit intelligatur. Quæ ab Arist. lib. 12. Metaph. in contemplatione ponitur.

Mundi vtriuſque comparatio breuiter explicatur: vt intelligatur quo modo ſuperioris virtute hic inferior regatur. Cap. 4.

1 *Mundus qui in ſenſum cadit, imago eſt eius qui ſola intelligentia percipitur, & intelligentiarum quæ huic inſunt. In eodémque exprimuntur ſuperiores virtutes magnæ, nobiles atque perfectæ, quæ in hunc ab illo influunt. Subſtantiæ quoque quæ intelligentiæ ſunt, eas continent quæ in ſenſum cadunt. Atque primus opifex ſimul cum intellectu eaſdem intelligentias continet. Nec intellectus ipſe tãtum in numero intelligentiarum habetur, ſed has confirmat, ſicut & eas ſubſtantias quæ in ſenſum cadunt. Subſtantiæ autem quæ intelligentiæ nominantur, reconditæ ſunt: quoniam procreatæ ab eſſentia prima cauſarum principe, quæ inter illas eam quæ principatum obtinet, ſine vlla alia intermedia procreauit. At ſubſtantiæ aliæ ſenſus mouentes, commutabiles ſunt: quia imagines ſubſtantiarum occultarum. Eſſeq; incipiunt cum gignuntur: confirmantur autem atque conſiſtunt, per intelligentias quæ ſubſtantiæ firmæ ſunt atque perpetuæ.*

SCHOLIA.

1 Quæ toto hoc capite dicuntur omnino conſentiunt cum Platonica doctrina de ideis & harum imaginibus in fluente materia expreſsis. Quod vero ſequitur de intellectu in ſe intelligentias continente, id referendum eſt ad primum intellectum quem dei filium Platonici nonnunquam appellant: aliquando vero dei filio, ſiue ipſo Verbo, vno gradu inferiorem eſſe volunt. Hic vero ſua virtute regit & continet inferiores intelligentias quæ celeſtibus orbibus & variis mundi elementaris partibus ſunt præfectæ: quæque in magia naturali cuſtodes eſſe dicũtur regionum & ciuitatum, atque etiam hominum ſingulorum. Quæ omnia ſi ſanè intelligantur, à noſtra religione aliena non ſunt: ſed verendum eſt ne alio detorta, animos vana ſuperſtitione impleant.

Animus cum intelligibilibus & ſenſilibus, inter quæ medius eſt, comparatur: & quid ab intelligibilibus accipiat, quoq; modo agat in ſenſilia, inquiritur. Cap. 5.

Eſſentiæ ſpecies duæ ſunt: vna in ſenſum cadens, altera quæ

sola intelligentia percipitur. Atque animus quidem in superiore mundo qui ad intelligentiam pertinet, nobilior est atque perfectior: in inferiore autem ignobilior deteriórque efficitur, ratione corporis cum quo coniungitur. Cumque ipse particeps sit intelligentiarum mundi superioris, omnino expers esse non potest sensilis mundi, nec eorum quæ hic in se continet. Quoniam eius natura cum utroque commune quiddam habet: ideoque minimè decet hunc conqueri, quòd superiorem mundum reliquerit & in inferiorem descenderit. Si quidem inter hunc & illum interiectus est: quamquam sit in numero substantiarum diuinarum, tamen quia inter illas postremus est, inter sensiles obtinet principatum. Porro idem iam contractus ad mundum naturalem atque sensilem, continet quidem uirtutes suas aliunde influentes: sed & infundit alias sibi proprias: mundumq́ ipsum exornat dotibus innumeris & sordibus expurgat, ac vitia, ne commisceantur, magna cura repellit. Quare in mundum hunc idem influens, non solum eius externas partes sed & internas exornauit, inserendo virtutes earum rationũ quarum interior est operatio: quæque per obseruationem iuuẽtæ sunt & cum explicantur, ad stuporem vsque admirandæ sunt. Animum vero interiora corporum magis quam externa exornare, argumento est quod in illis natura interna est, non circunstans. Idque eo signo deprehenditur, quod corpora natura constantia, interna vi aguntur non externa. Sic enim videmus animalia ac plantas etiam si nullam externam pulchritudinem præ se ferant, tamen si non impediantur, de interioribus suapte natura fructus illustres ac bonos effundere, cum ratione atque operatione admiranda. Ad

hæc nisi illa corporibus naturalibus inesset, iisque miras suas rationes insereret varias actiones in interioribus illorũ partibus edens, corpus suapte natura caducum, celerius multo dissolueretur, nec tamdiu consisteret. Quoniam ille corporis alicuius puritate atque dignitate perspecta, virtutum suarum influxu, huius naturam constituit imprimítque rationes ad res miras efficaces: à quibus intimæ eiusdem partes mouentur.

SCHOLIA.

1 Sic philosophi in vniuersitate volunt extrema vinciri & vniri per medium: medium vero esse animũ humanum inter ea quæ planè diuina sunt & quæ omnino naturalia, siue inter intelligibilia & sensilia. Qui etiam cùm corpore coniunctus, in suis functionibus edendis partim communicat cum formis omnino naturalibus, quatenus ad agendum organico corpore indiget, partim cum formis omnino à materia separatis, quatenus in principò & maximè propria actione, corpore impeditur potius quam adiuuatur. Quare vt in eadem vniuersitate quędam sunt quæ neque vnquam esse inceperunt neque desinunt, alia quæ incipiunt & desinunt: sic de animo humano rectè Aristoteles querit in Metaphysicis, num sit ex iis quæ esse quidem incipiunt, nunquam tamen desinunt: vt in hoc mediam quoque inter duo extrema naturam seruet. Hinc ab eisdẽ veteribus philosophis homo rerum omnium vinculum & regula appellatur. Quoniam in eo quod verè medium est, extrema vinciuntur & eiusdem regula quodammodo continentur.

2 Hæ sunt rerum proprietates, quæ idcirco occultæ nominantur: quia per manifestas materiæ qualitates explicari non possunt, neque eiusdem temperationẽ omnino sequuntur. Ideòque earum originem eadem materia superiorem hic indicat refertque ad rationes rerum ideales, de quibus paulo ante dictum est. Quę tantum nobis innotescunt per obseruationem actionum quas edunt: in quibus vsque ad stuporem sunt admirandæ, propter causæ ignorationẽ. Cuius esse proprium, admirationem eiusmodi parere, docent Plato in Theeteto & Aristoteles initio Metaphysicorum. Eius vero proprietatis occultæ exempla infinita commemorãtur à philosophis in metallis & lapidibus itémq; plantis & animalibus.

3 Forma enim rei cuiusque prima est summáque perfecto, non externa quæ sensu percipitur, sed interna: quæ sola cogitatione comprehenditur per obseruationem actionum quarum ipsa est principium. Vt hæc diuina eo fere modo se habeat in suo corpore, quo deus ipse in magno corpore vniuersi.

Quo modo animus ad vtrumque mundum se habeat, & à superiore accipiat, cum inferiore autem suam virtutem tantum influendo communicet. Cap. 6.

Animus cum in corpore est, ab hoc discessum parat, ac immutationem querit. Deinde reuersus ad superiorem mun-

dum, cum in vtroque iam versatus sit, ac duplici cognitionis suæ gradu (1 cogitationis scilicet & experientiæ) hūc nouerit (non aliter quā is qui rei alicuius leui cognitione preditus eáque allectus, hanc diligit, cuius vsu antecedentem cognitionem confirmet) cúmque alterius superiores ordines honorandos perspexerit, iam perfecta scientia constituit, superiorem mundum hoc excellentiorem esse. Vt vero intellectus descendens, influxum suum terminat in animo, quòd hic, sicut antea sepe dictum est, mundi intelligibilis portio quædam sit, eaque in qua rerum subiectarum imagines ab eodem intellectu sunt consignatæ: sic cum post reditum ascēdit, in prima causa conquiescit, cuius vis intellectui est impressa. Si quidem per experientiam exploratéque cognouit essentiam in illa digniorem nobiliorémque quam in lumine & virtute, aut in ceteris potestatibus quæ ab eodē originem acceperunt. Porro vt intellectus per se ipse non est, sed indiget robore atque lumine aliunde influente, cuius vi consistat & excitetur, vtque cum hic ad superiora moueri non posit, in ea influendo (2 sunt enim hæc primus opifex eiusdémque opus primum, ad quod intellectus rationem habet luminis densi atque compreßi) ad inferiora mouetur, in eáque vsque ad animum influit: sic animus quoniam plenus est lumine variísque dignitatibus quæ comprehēdi non possunt, sursum non profluit (quoniā intellectus in hunc semper influens, eiusdem refluxu non indiget) sed deorsum, quasi quodam pondere depressus, subiectis rebus dotes suas communicat atque implet terrarum orbem suo lumine bonóque & honore. 3 De iis autem quæ ab illo orta sunt, præstantissimus orbis est in quo planetæ insunt: quia hic propius ad

causam primam accedit. Et quoniam animus ab intellectu formam suscepit, deinde ab essentia motione sua excitatus est, fecit etiam varios planetarum motus voluntarios, naturales atque æquabiles: in quibus operationes sunt sensibus manifestæ. Quales quoque ordines multi sunt intellectualis formæ primariæ, à principe causa procreatæ. Rursum cum mundus vterque moueatur, is quidem qui intelligibilis est, secundum substantiam, naturalis autem quodam illius desiderio: animus quoque mouetur vt mundo intelligibili similis efficiatur. Cumque propter suam imbecillitatẽ, eius quod primum est imitationem non possit assequi, ad inferiora, sicut dictum est, reiectus & quasi præ verecundia coactus, in naturali orbe ea innouauit quæ ex elemẽtis composita sunt.

4 *Déque illius variis virtutibus per hũc diffusis, singula pro sua natura portionem corporis receperũt accõmodatam rationibus eorum quæ in terra latẽt aliorúmque similium: quæ de sole supra nos exoriente, excipienda sunt pro capacitate facultatis cuiusque.*

SCHOLIA.

1 Experientia in sensu consistit, in quo est omnis nostræ cognitionis principiũ sicut Aristoteles docet initio Metaph. & cap. vltimo lib. 2. Analyt. post. Cogitatio vero ducto initio ab imaginibus rerum sensilium, ad vniuersa discurrit: quorum rationes postea ipse intellectus excitatus & repurgatus, à sensilibus omnibus abstrahit. De quorum ordine in Physicis, Mathematicis & Metaphysicis, abunde disputatum est, contra Thessalum methodicum nostris in spheram prælectiobus.

2 Influentia enim, vt dici solet, nunquam ascendit: idque quoniam superiora non indigent virtute inferiorum, nec ab iis vllam perfectionem possunt accipere. In intelligibilibus autem supremus influentiæ gradus in deo, qui immittit tantum virtutem suam in omnia, nihil aliunde excipit, infimus in animo qui tantum recipit. At in naturalibus, summus gradus in animo, infimus in elementorum corporibus vel potius in horum materia. Quare spectatis intelligibilibus & naturalibus in ipsa vniuersitate, antea duo extrema posuimus, deum quidem actum primum & purissimum, omnia sua virtute regentem: & materiam primam potentiam impurissimam, quæ non nisi aliena virtute regitur.

3 Celestia corpora minus habent impuritatis ad materiam pertinentis. Atque

idcirco de eis dubitatum est in phisicis an habeant materiam eiusdem generis cum materia horum corporum inferiorum. Eadem vero plus habent virtutis & energiæ, quæ propria formæ. Quare in eisdem virtus animi mundi, de quo hic loquitur, primo relucet: deinde per eadem media cum iis inferioribus communicatur.

4 Sol enim vt dux est & moderator reliquorum luminum cælestium, ita efficaciter magis sua virtute afficit hæc inferiora. Vnde dictum ab Arist. lib. 2. physic. a Sole & homine hominem generari: & lib. 2. de ortu, huius accessionibus & declinationibus propter obliquitatem Zodiaci, vicissitudinem ortus & interitus in his rebus inferioribus regi.

Ex superioribus concluditur corporum naturalium cum causa prima comparatio, eorundémque motus distinguuntur: deinde in motu & tempore inter se conferuntur res singulæ & vniuersæ omniáque quæ sensili mundo continentur, cum aliis quæ sunt in intelligibili. Cap. 7.

Itaque inter corpora illud cum causa prima maiorem habet dissimilitudinem, quod ad recipiendam vim ab animo influentem ineptius est: sicut eidem similius est, quod ad hanc aptius. De illisque quædam ad motum tarditatem maiorem habent, alia minorem: pro varia differentia quam ad primũ idémque vnum, obtinẽt. Neque vero si causæ non essent gradibus inter se distinctæ, necesse esset secundum substantiam interire corpus quod est aspectabile. 1 *Enimuero cum lineæ à centro circuli ea quæ sunt continentis, variæ sint, motus etiam celeritate atque tarditate distinguetur. Si quidem quãto hic inferior, tanto etiam tardior languidior & imperfectior. Contra vero, quanto superior, tanto celerior: donec ad id peruentum sit quod in hoc mundo est supremum. Omnia quoque concreta quæ natura constant, in dissolutione atque interitu intentione quadam distinguuntur atque remissione. Porro mundus is qui natura cõstat, ad cælestium orbiũ stellarúmque corpora, quæ quidem aspectabilia sunt, terminatur:*

tur: illáque à prima causa sine vlla temporis circunscriptione patiuntur. Mundus autem intelligibilis, definitus est ad formam primam causámque interiorem. Consimili quoque ratione animus sursum versus, ad intellectum, deorsum vero ad naturam materiámque primam definitur. Quæ omnia sine tempore patiuntur. Quæ autem re ipsa apparẽt & facultate sunt, vt inanima, plantæ, animalia cæteráque eiusmodi, ea à seinuicẽ patiuntur. Intellectus autem perpetuus est & omnis motus expers: cœlũ verò tẽpore definitũ & motui obnoxium. Singula quoque cum naturæ motu coniuncta sunt: vniuersa vero secundum substantiam quieti similiora. Quoniam affectionis nullam mutationem subeuntis, causam oportet esse constantem. Tempus cum motu coniunctũ est, natura vero æterna immobilitati proprie est adiuncta. At in mundo intelligibili, mouentur ad primũ opificem intellectus & animus. Quoniam in illo nulli fines subiecti sunt, quales in linea aut figura apparent: neque alij motus ex voluntario nutu primæ causæ, quæ primũ extitit inter omnia quæ procreata sunt: nec ante eam cogitatione fingi quicquam potest aliud à primo opifice, cuius ipsa voluntas est. Quia externæ voluntatis imitatio, quædam est commutatio. Hæc autem causam primam non potest attingere.

SCHOLIA.

1 Varietas hæc posita est in linearum quæ ab eodem centro ducuntur, inæqualitate. Sunt porro hæ inæquales, quia non desinunt in eandem circunferentiam sed in variam atque differentem pro varietate circulorum qui in toto corpore cælesti notãtur. Vt quo maior est circulus Saturni quam Solis & huius quam Lunæ, eo quoque maior linea quæ à centro terræ ad illum ducta, cogitatione comprehenditur. Quare cum circuli superiores diurnos motus, qui primum orbem sequuntur, eodem tempore conficiant, necesse est illos celerius moueri, inferiores tardius. Quoniam illi eodem tempore cum inferioribus, maiorem ambitum reuolutione sua conficiunt.

2 Hoc intelligi poteſt ex eo quod Ariſt. docet in phyſicis, tempus motum quidem non eſſe, ſic tamen eſſe cum motu coniunctum, vt ſine hoc non poſsit intelligi. Atque ex iis poteſt hoc quoque colligi cur in naturalibus omnibus explicandis motus potior ratio habeatur quam quietis. Nempe quod vt æternorum maximè propria immobilitas, ſic naturalium mobilitas.

De vtriuſque mundi coniunctione & vnione per animum, quoque modo hic in mundo intelligibili exiſtens, cum hoc ſenſili communicet. Cap. 8.

Quiuis animus, vbi agendo mundum hunc ſenſilem dignitate ſua exornauit, ad alterum qui intelligibilis eſt, coactus reuertitur, eúmque arctiſsimè complectitur, propter cognitionem quam in eodem diximus omnis dubitationis expertem. Quoniam mundus ille alter noſtro nobilior eſt: animúſque illius cõtemplationem retinens, hunc omnino reſpuit. 1 *Quod ei manifeſtum eſt qui naturæ faſcinatione liberatus ſtatímque reuocatus ad intellectum, contemplatus eſt eorum quæ ſunt principia. Illæ autẽ cum reuerſus eſt, idcirco hæc inferiora deſpicit quòd caduca ſint, velut eius ſimulachra:* 2 *quæ non permanent niſi ab eadem cauſa ſubinde renouentur. Amplius etiam ille in proprio orbe dignitatem ſuam intuetur ab eodémque virtutem ſuam attrahit, quam cum hoc inferiore communicat, per eandem hunc cum illo coniungens: vt hac ratione vniuerſum, ſuis partibus vniatur.* 3 *Hanc vero ſententiam breui ratione eiuſmodi concludimus. Quod animus non omnino deſcendat in mundum inferiorem: nec is qui communis eſt, nec qui humanus: ſed eius aliquid ſuperſit in mũdo altero qui intelligibilis eſt, ab illoque minimè tranſlatus ſit: quia loco non indiget. Sed propter curam & ſtudium cum inferiore coniungatur in húncque deſcendat, vt functiones ſuas in eodem declaret. Quia fieri non poteſt*

vt mundos diuidat, quin ipse cum substãtiæ suæ interitu permutetur. Ex quibus efficitur eum in illo existere ex quo pendet, nec omnino illinc egressum, in hoc inferiore actiones suas edere.

SCHOLIA.

1 Talis est is qui in vita hac verè philosophatur. Hic enim nec materię, nec naturæ, quæ omnis suo modo materiata est, addictus, supra imagines eorũ quę sunt, in sensilibus adumbratas, inquirit intelligibilia, quæ sola vere esse dicuntur: in quæ sua contemplatione defixus est. Ad hæc vero peruenire non potest nisi animo prius repurgato & parte huius inferiore vel omnino vincta, vel sua sponte superiori obsequente. Quod nemo consequi potest nisi naturæ fascinatione liberatus, sicut colligi potest ex iis quæ dicta sunt libro superiore.

2 Sic enim apud Peripateticos res singulæ hoc inferiore mundo contentæ, quæ ad numerum eædem semper manere non possunt, in specie perpetuantur per procreationem similium. Ipsa vero procreandi vis, à primo opifice per mediam cælestium corporum conuersionem, sicut Arist. docet cap. vltimo lib. 2. de ortu.

3 An vt sol sensibilis mundi, secundum substantiam semper in cælo presens, virtutem suam omnibus inferioribus communicat, per eandémque his adesse dicitur: sic animus dum intelligibili mundo secundum essentiam semper adest eidémque adhæret vt suo principio, per virtutem quam in mũdũ sensilem effundit huic quoque adesse dicitur, in quo varias actiones edit? Sic enim apud Peripateticos, (vt pluribus disputabimus Commentario in Alcinoum) animus qui singulorum hominum est proprius, in corde suam sedem habens, per suas actiones in singulis corporis partibus relucet.

Quid necessarium sit ad animum in contemplationem diuinorum erigendum: quibusque difficultatibus id in vita hac sit inuolutum. Cap. 9.

1 Sensilis mundus in nos suum imperium obtinet. Quoniam in hunc animi nostri demersi, peruersis libidinibus abũdant: quibus efficitur vt mundi alterius intelligibilis concentum negligamus & virtuti ab eodem influenti minime obsequamur: non sentientes quid ab hac in animo reconditum sit & illustratũ. 2 Idq; accidit quoniã natura animos singulorum regit suo imperio fascinationi simillimo, quo iidem lãguidiores efficiuntur ad reditum in suam essentiam. 3 Tum autem erunt confirmati & ad agnitionem intelligibilis mundi &

ad perſpiciendam vim quæ per animum influit, cum mundum hunc ſuperauerint, alieni & ab iis appetionibus quæ cum ſenſu ſunt coniunctæ & à naturalibus functionibus. In quibus à pueritia familiariter ſumus verſati, ea ſola curantes quæ ad ſingulorum animos pertinent prius quam hi, ad vniuerſa erigantur. De quibus nihil poſſunt perſpicere quãdiu tenentur cupiditatum imperio, aut cum ea forma communicant cuius imaginandi vis eſt propria. Contra vero in communis animi contemplationem erecti, ſingulos contemnimus: quamquam diu nobiſcum familiariter ſint verſati.

SCHOLIA.

1 Omnia hæc, ſicut & ſuperiora, cum Platonicis mirificè cõſentiunt. Nam Plotinus lib. de deſcẽſu animorũ in corpora, docet animo humano naturale eſſe quoddã commercium cum ſuo corpore, quo ille, quaſi inebrietur, ſuũ in cælum reditum tardiorem reddit. Igneus eſt ollis vigor & cęleſtis origo ſeminibus, inquit Poeta, quantum non noxia corpora tardant. Idémque Plotinus cap. 2. lib. eiuſdem pluribus oſtendit animi coniunctionem cum corpore eſſe quidem ei ſecundum naturam & ad vniuerſi perfectionem pertinere, eam tamen animis noſtris duplici ratione obeſſe. Quia & intelligendi munus impedit & animum perturbationibus implet. Vnde dictum ab eodem Poeta quod antea cap. 5. lib. 1. vſurpauimus, Terrenique habetant artus moribundaque membra, & cetera.

2 Sic nonnulli illud de Palinuro allegorice dictum volunt ab eodem Poeta.

O nimium cælo & pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Idque interpretantur de his qui in vita hac voluptatibus corporis irretiti, obdormiſcunt, nec de animi reditu in cęlum cogitant. Quod etiam per Syrenum cantus ab Homero ſignificatum volunt. Quamquam hoc poſterius aliter Cicero explicat lib. 5. de finibus.

3 Philoſophus enim his gradibus animo in cælum parat reditum. Primum exercendus eſt in excitandis rationibus vniuerſis rerum naturalium per ſenſum obſeruatarum. Deinde interiore cogitationis diſcurſu mathematica à ſenſibus abſtrahenda. Tandem per hæc media mens ad diuina eſt conuertenda. Ex quo exiſtit ordo trium partium philoſophiæ in contemplatione veritatis poſitarum. Primo enim loco ſunt phyſica: ſecundo mathematica: tertio & poſtremo Metaphyſica: ſicut à Plotino ſignificatum eſt libro de triplici aſcenſu ad mundum intelligibilem, & à nobis pluribus diſputatum contra Theſſalum methodicum cap. 3. noſtrarum prælectionum in Spheram.

Ideale animal magnum Platonicum in corpore & animo cum homine comparat: oſtenditque quo modo contingat animum humanum ab eo qui communis eſt, deficere, aut ad eundem ſibi reditum parare. Cap. 10.

1 Corpus etiam quod commune est, se cum inferiore coniungit, hocque sibi conciliat: animúsque communis, corpus commune propriis viribus regit, sine vllo labore. 2 Quoniã hoc facit non ea cogitatione qua animus humanus corpus suum mouet, sed moderatione ea quæ ad intellectum communẽ pertinet. Siquidem corpus illud nullam varietatem suscipit, omninoque sui simile est, carens compositione partium diuersarum membrorúmque differẽtium. Quæ quibus insunt, hæc varia quoque administratione indigent: cum partes multæ sui similes, vnius rationem habeant. Animus vero qui certo corpori inest, nobili quidem administratione, sed tamen laboriosa, illud ipsum regit. Quoniam id nõ sine cogitatione perficit, hacq; indiget propter naturam in quam demersus est: & quia permixtus est cum eo igne, qui incurrit in ea quæ ad sensum pertinent. 3 Ex quo dolor nascitur: quia subit aliquid quod præter naturam est, huiusque statũ superat. Neque vero contingit animum hac corporis constitutione liberari, nisi varia cogitatione contemplationéque sit exercitatus: atque per hanc consequutus superioris administrationis recordationem, deprehẽdat id quo fascinatus impediebatur, perturbatatúrque ne posset essentiam suam intueri, aut ea exquirere quæ confirmationem afferunt, quæque excitant ad superãdas potentes appetitiones prauas vitiosásque eiusdem animi apprehensiones. Quibus efficitur vt idem relicta æternorum conditione, ad fruendum hoc sensili mundo, ignoret separatũ se à perfecta charitate, induisse amorem permutabilem atque imbecillum. Cum vero hic cõfirmatus satis habebit viriũ ad repellẽdos eos habitus quibus inficitur atque immutatur, neque amplius illis detinebitur: tum sine vllo labore atque do-

lore corpus suũ reget: ac si mutationẽ varietatémque exceperis, animo communi in imperando omnino similis efficietur.

SCHOLIA.

1 Commune corpus communémque animum, in mundo ideali videtur intelligere: à cuius participatione & imitatione gradibus distincta singula animalia, habent esse: sicut sensili mũdo, vt animali omnium maximo & prima eiusdem imagine, singula animalia sensilia continentur. Ipse vero idealis mundus platonicis re idem est cum deo patre rerum omniũ primo opifice, vel potius cum ipso Verbo dei filio: cui omnem potestatem procreandi, regendi & conseruandi ea quæ sensili mundo continentur, deus pater demandauit. De quo postea plura suo loco dicentur: quæ cum in religione nostra sint vel maxime abdita, mirum quidem est ea Platonicis in mentem venire potuisse, sed longe magis Aristoteli. Qui cũ naturæ genius alio philosophandi genere delectatus videatur, penè incredibilis in hoc tanta diuinitas, quantam hi libri passim præ se ferunt. An vero mutato quasi ingenio, hanc isto opere affectauit & de eadem cum magistro certare voluit, testarique nihil in hoc magnum & admirandum extitisse, quod non posset imitando assequi vel etiam longo interuallo superare?

2 Humana cogitatio cõiuncta est cum quodam discursu quo ex præcognito progressio fit ad incognitum, sicut Arist. docet initio lib. 1. Analyt. Post. Deus autẽ & cęlestes intelligentiæ non sic intelligunt, sed tantum intuẽdo: deus quidem in se ipso, cælestes autem intelligentię in deo, prout hic se illis aperit & quasi communicat. Vnde etiam accidit vt harum cognitio gradibus distinguatur nec parem in omnibus perfectionem adepta sit: quia deus illis omnibus non se eodem gradu communicat.

3 Dolor enim, vt colligi potest ex Platonis Timeo & ex Galeno libris de Symptomat. differentiis, est sensus quidam tristis, qui maximè sequitur subitum affectum præter naturam, aut morum ab eadem alienum. Significatur autem hoc loco doloris eius qui in hominem cadit, causam in eo esse positam quod is neq; in animo suo, neque in corpore, totus est vnius modi, sed repugnantia & contrarietate quadam partium preditus: in quarum consensu ad naturam accommodato voluptas est: sicut in tristi sensu dissensionis, dolor. Et certe quanquam aliud agat Hipp. hoc tamen quodammodo sequutus esse videtur libro de natura humana, cũ dixit hominem non ægrotaturum si vnum esset.

4 Nihil dici potuit magis Platonicè. Nam cum paulo ante repetitũ sit ex Arist. lib. 1. Analyt. post. disciplinam nostram positam esse in cogitationis discursu a præcognito ad incognitum, nunc eodem dicitur excitari superioris administrationis recordatio. Quoniam Platoni cum aliis locis multis, tum maxime in Menone, disciplina nostra non aliud est quam vitæ superioris recordatio. Cuius fructus sua habet quasi rudimenta in animo repurgando & parte huius inferiore ad rationis imperium reuocanda, per eas virtutes quæ morum appellantur. Deinde vero hic maximus elucet in excitanda sui ipsius diuinorũmque omnium cõtemplatione. Quæ rectè institui non potest nisi prius corpore composito & repressis vel, si fieri potest, omnino extinctis motibus qui de eodem exoriuntur. In hac autem philosophiæ finis est vltimus: in quo rectè summa perfectio Apollinis oraculo est posita: cum ille homini præcepit vt se ipse cognoscat: id est, sicut Cicero interpretatur, animum suum, huiusque originem & cum rebus diuinis, maximam naturæ cognationem.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 8.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Quæ ignis elementaris sit causa efficiens, inquiritur, ac potissimum quæ in eo formæ origo. Cap. 1.

IGNIS essentia, sicut & terræ cæterorúmque consimilium, ratio quædam est in materia prima. Neque ille ex attritu collisionéque, vt agente causa, existit, quemadmodum nonnulli arbitrati sunt, sed in illis latens, excitatur ea concußione per quam quæ sunt arida vehementer incalescunt. 1 *Neque vero materia prima, facultate sua ignis est, sed in illa tantũ forma ignis exoritur: cum ratio formatrix huius aliorúmque eorũ quæ sunt, eidem dat originem. Ipsa autem formatrix ratio, animus communis est, qui igni reliquisque mundi partibus vitam præstat. Cuius vi singula pro sua conditione reguntur: adeo vt per hanc quodlibet ex inanimis plantísque & animalibus, declinet quæ sunt nociturna. In eadem etiam animus noster conseruatur, per háncque cognoscit omnia, quorum disciplinam percipit.* 2 *Atque ista est diuina prouidentia per vniuersum diffusa, ipsáque lux, cuius vi*

vnumquódque eſt & quieſcit. Quare à Platone dictum eſt animum in corpore quolibet ſimplici, excitare ignem hunc in ſenſum cadentem cateráque elementa. Ex quibus intelligitur, eiuſdem ignis effectricem cauſam, vitam eſſe quandam igneam: ignémque abditum, qui in ſuperiore mundo exiſtit, atque hoc inferiore longe aptior eſt: quoniam & eodem nobilior. Vitæ quoque participem eſſe, & vitæ quidem eius quæ in illo, quam in hoc noſtro, longe excellentior eſt. Quia hic noſter illius imago quædam eſt. Porro cum iam probatum ſit ignem qui ad ſuperiorem mundum pertinet, viuere ea vita quæ in inferiorem influit, intelligendum etiam eſt in eodem aërem quoque aquam & terram viuere, ac multo magis quam in inferiore mundo. Quoniam ab illis ſuperioribus vita in hæc inferiora influit.

SCHOLIA.

1 Rurſum hoc loco apparet (quod antea ſepe obſeruauimus) qualem author hic velit eſſe formarum naturalium originem: nempe ex animo mundi, cui inſitam eſſe ait rationem formatricem rerum ſingularum, quæ non ſolum iis præſtat vt ſint (quo modo Ariſtoteles de cuiuſque rei forma loqui ſolet) ſed etiam vt viuant. Quoniam veteres Platonici mundi totius animati & viuentis partes ſingulas ſuo gradu animatas & vitæ participes eſſe voluerunt. Quo poſito, explodi neceſſe eſt opinionem eorum qui volunt illas ſolum excitari de materiæ poteſtate: in qua eſſent antea, ſed vinctæ vel quaſi ſopitæ.

2 Nam in animo mundi primus intellectus relucet: in hoc vero, vt in primario effectu, Deus ipſe, mundi eiuſdem opifex & moderator. Sic Iouis omnia plena, à Poeta eſſe dicuntur. Atque hoc modo rerum naturalium contemplatio ſupra materiam excitata, à Deoque deriuata & ad eundem relata, eum fructum continet quem in Anaxagoræ libris Socrates apud Platonem deſiderat.

Confirmat quod ſuperiore capite vſurpatum eſt, vitam ab animo mundi in omnia elementa & ea quæ his continentur, eſſe diffuſam. Cap. 2.

1 *Elementis his quæ inferiore mundo continentur, vitam ineſſe, argumento ſunt animalia quæ in eiſdem giguntur.*

Quoniam

Quoniam ex igne animal quoddã existit & ex aëre, itémque ex aqua. Animalia tamen nata in aëre maiora sunt magísque apparent, quam quæ in igne. Quia hæc sensum fugiunt, propter ignis subtilitatem atque leuitatem, paucáque sunt, & ea vsque ad aërem mobilia. Qua etiam ratione, euidentissima sunt animalia aquatilia. Animalia autem ignea ab elementis inferioribus non patiuntur, sed in illa agunt, neque aërea ab aqua, vel ab ipsa terra. 3 Aquã autem viuere ex eo manifestum esse videtur, quod ex humore quodam nobis insito, caro gignatur. Hæc vero non aliud esse videtur quam sanguis certa ratione concretus. Terram quoque vitæ esse participem manifestum est, tum quia ipsa tota in eo præ se fert animalis speciem aliquam, quod habet aquas subterfluentes tanquam venas & saxeos montes pro membris osseis, plantásque velut capillos: tum quod plãtæ terræ infixæ viuunt, ab eadémque auulsæ, intereunt. Plãtas autem & animalia præter eum animum qui singulis est proprius, frui quoque vita animi communis, id declarat quod non possunt aliis alimentum præstare nisi sua vita spoliatæ: vt plantæ, cum cesæ sunt, aut animalia, cum interierunt. Nec enim si animal viuum deuoretur, prius nutrit quam intereat: nec quod in carnem conuertendum est, corrumpitur, nisi quia animo proprio prius orbatur. Si itaque talia in carnem vertuntur, seruant vim eius animi quem antea communem diximus. Nec tamen quia elementa vita participant, eadem quoque sentire est necesse: sed ipsa sensum recipere possunt: quemadmodum sanguis ex quo caro gignitur, sensus non est particeps.

SCHOLIA.

1 Similia sunt quæ de calore vitali fuso per omnes mundi partes Cicero pluribus explicat lib.2. de natura deorum. Et Aristoteles cap. vltimo lib.1. de animo hanc veterum opinionem attigit easque dubitationes quæ eandem sequi videntur. Sunt, inquit, qui in toto vniuerso permixtum animum aiunt esse. Quocirca forsitan & Thales omnia plena deorum esse putauit. Hoc autem dubitationes habet nonnullas. Quam enim ob causam animus in aëre quidem vel igne si inest, non facit animal, in mixtis autem facit, præsertim cum in illis videatur esse præstantior? Quæret etiam quispiam quam ob causam qui est in aëre, præstabilior est & immortalior eo qui animalibus in est. Vtrobique autem energit quoddam absurdum, & rationis egrediens metas. Nam ignem aut aërem animal esse dicere, rationis egreditur fines: & asserere rursus animalia non esse, si insit ipsis animus, perabsurdum est sane. Hæc Arist. eo loco, quæ explicari posse videntur, ex iis quæ hoc loco dicuntur.

2 Scribit Arist.lib.5.de historia animalium, in Cypro insula, ærariis fornacibus, vbi Chalcites lapis ingestus pluribus diebus crematur, bestiolas in medio igne nasci pennatas, paulo muscis gradibus maiores: quæ per ignem saliunt & ambulant. In terra autem & aqua maiora animalia nascuntur quam in aëre & igne, quia in illis duobus elementis plus est substantiæ solidæ, quæ corporibus animalium dat consistentiam: sicut idem author est lib. 4. Meteor. Animalia autem in aqua quam in reliquis elementis insigniora, & euidentiora dicuntur propter maris summam fœcunditatem & pene incredibilem in eo magnitudinem Cetaceorum, quorum nonnulla in flumen Arabiæ intrasse scribit Plinius cap.1.lib.32. quę in longitudine pedum essent sexcentorum, in latitudine vero trecentorum sexaginta.

3 Hic velle videtur nihil in nutritione verti posse in substantiam corporis animati, nisi prius fuerit animatum. Itaque quia humores qui in nostris corporibus consistentiæ speciem habent aqueam, in carnem animatam vertuntur, concludit non modo hos prius fuisse animatos, sed & aquam, cuius genere continentur. In cuius sententiæ principio nonnulli medici consentire videntur, qui vt probent, metallica & lapides eaque quæ eliciuntur vel effodiuntur è terra, nullam alendi vim in nostris corporibus obtinere, opponunt illa omnia inanimata esse: animatum autem ali non posse nisi eo ipso quod aliquãdo fuerit animatum. At Aristoteles in physiologia vult quidem similia similibus, mixta mixtis ali: nullo vero loco (quod sciam) adiicit animatorum, animata aliméta fuisse oportere. Et certè si in simplici rerum ortu, ex elementis sensu omnino carentibus, non modo nascuntur mixta corpora eiusdem generis, id est patibilia, non tamen sentientia: sed per medias mutationes varias ex illis etiam existunt animalium corpora sentiendi facultate prędita (quod Galenus obseruat lib.1. de elementis) non video cur idem in nutritione non posit contingere.

Mundum intelligibilem & exemplares rerum causas æternas quæ in eodem vniuntur, comparat cum sensili, mundo & rerum imaginibus fluentibus, quas hic suo ambitu complectitur. Cap. 3.

Quæ cum ita sint, reuocato sermone ad id quod erat institutum, dicimus totum mundum hunc in sensum cadentem, al-

terius esse imaginem: ex eóque necessarium esse, cum hic vitæ sit particeps, alterum multo magis viuere. 1 Quoniam si hic perfectus est, illum longe perfectiorẽ esse oportet. Si quidem huic vitam dat, virtutem, perfectionem atque perpetuitatem. Si vero mundus superior summam perfectionem adeptus est, necesse quoque est ea quæ in illo sunt, perfectiora esse aliis, quæ mundo hoc continentur. In illo igitur alij sunt cælestes orbes, stellarum virtutes adepti, quales huius mundi orbibus insunt: nisi quod in illo orbes eiusmodi, speciei sunt eminentioris atque lucidioris, neque, quod istis accidit, à seinuicem interuallis distincti. Quia corporis sunt expertes. In eodem etiam terra inest, non sua substantia inanimata, sed vitæ particeps: in qua insunt animalia omnia naturalia terrenaque, quæ in hoc inferiore mundo, sed formæ alterius atque perfectioris. Sunt & plantæ satiuæ hortemsésque & aquæ animata vi profluentes, itemque animalia aquatilia, sed nobiliora. In hoc quoque aër est & in eo propria quædam animalia, omnino viuentia est immortalia. Et quamquam animalia eiusmodi cum his naturæ communionem quandam habeant, eisdem tamen præstantiora sunt. Quoniam illa ad intellectum pertinent æternáque sunt & omnis commutationis expertia. Si quis vero inquirat, vnde plantæ ceteráque quæ enumerata sunt, mundo superiori insint, respondebimus ei profecto omnia inesse: quia in eodem ab opifice primo perfectóque ac insito, sunt profecta. In illo igitur intellectus animíque omnes continentur: neque vlla inest defectio, qualis in indigentia & corruptione apparet. Quandoquidem quæ in eo sunt, abundant vbertate robore atque letitia: vt pote quæ in vita sublimia sunt & ab vno

fonte deriuata, vnáque qualitate prædita quæ ceteras in se est complexa: 3 vt sapores dulces, odores suaues, colores perspicuos, concordes sonos & rerum tactilium differentias ceteráſque perfectiones. Neque vero in eodem partes inter se contendunt, neque miſcentur, neque ſibi inuicem interitum afferunt: ſed ſingulæ in perfectione ſua conſeruantur pro optima ſuæ eſſentiæ ratione diſtinctæ. Eedémque cum ſimplices ſint, multas rationes in ſe continent, ſine vlla interiore naturæ ſuæ multitudine, vel incremento: quo ſcilicet corpora numero vel magnitudine augentur. In eo etiam intellectus vacuus eſt, animúſque ſimplex. 4 Atque duo hæc, quemadmodum & reliqua, naturam habent ſimplicem: ea lege vt omnia pro ſua ratione cum vitæ principio quandam proportionem habeant, non cum rebus ſecundis atque compoſitis, quæ in ſenſum cadunt, pro quarum rationibus, numero augentur.

SCHOLIA.

1 Horum omnium fundamentum in eo eſt poſitum, quod ſecundum Platonicos quæcúmque ſunt in ſenſili mundo, preter ea quæ materiæ imperfectionem comitantur, eadem ſunt in intelligibili, ſed modo meliore. Quemadmodum iidem ſenſilem mundum cum diuiſerunt in cæleſtem regionem & in elementarem, dicere ſolent quæcúmque ſunt in elementari regione, ea quoque eſſe in cæleſti, ſed elemétiore modo & efficaciore: indéque accidere vt elementaris regio, cæleſtis virtute regatur. Quod illis quoque naturalis magiæ & occultæ philoſophiæ alterum fundamentum eſt. De quo vide Cornelium Agrippam lib.1. de occulta philoſophia, cap.8.

2 Omnium enim animalium terrenorum corpus, imo & eorum quæ in aqua viuunt, aut per aërem volitant, in ſua conſiſtentia dominantem habet terram cui aquæa humiditas glutinis eſt loco. Ex quo accidit vt illa non niſi in terra poſsint quieſcere. Quoniam virtute animali ceſſante, vel ad tempus ſuam actionem intermittente, vt cum ceteris corporibus mixtis mouentur ad locum elementi dominantis, ſic in eodem quieſcunt.

3 Sic cæleſtis natura nullam habet qualitatum inferiorum & elementarium in ſe actu expreſſam: & tamen perpetuam virtutem retinet excitandi infinitam harum varietaté in corporibus mixtis, ſiue ſolo nutu, vt Ariſtoteles velle videtur in phyſiologia, ſiue ſuo calore cum ſpiritu & lumine quod Io. Piro Mirandulæ ma-

gis placet lib.2. disputationis contra Astrólogos. Imo per generationem simplicem, hæc inferiora procreat, quæ in se tantum sua virtute continet.

An intellectus primus in mundo intelligibili vacuus esse dicitur quia in hoc nulla notionum multitudo? aut in eodem nulla harum inter se distinctio? Hoc enim ille differt ab intellectu qui singulis hominibus proprius, differentibus rerum intelligibilium notionibus quasi plenus est, per quas discurrendo, reipsa intelligit. Quamquam in huius loci interpretatione mihi adhuc non satisfacio.

Agentia, facultatibus & agendi modo distinguit: vt ex eo amplius cognoscatur, quo intellectus primus, suo motu & actione a reliquis differat: quoque modo ad ea quæ intelliguntur, se habeat. Cap. 4.

Agens omnino primum, in sensili mundo vnum est & simplex, facultate vnica preditum. 1 *Quod autem ex conditione primum est idémque vltimũ, facultates plures habet. Cuius etiam causa est, id quod est causæ primæ proximum: eiusdémque opera plura sunt & illustriora, quam alterius. At eius quod ab illa causa prima remotum est, opera pauciora eadémque imperfectiora. Quoniam intellectus perpetuo motu cietur, eodémque æquabili & secundum omnes partes sibi simili: neque ille ad vnum motum sed ad omnes accommodatur. Motus autem qui ad partem pertinet, non est vnius modi, sed varius & multiplex: quantóque posterior est, tanto obscurior: donec perueniatur ad vnum simplex, vnaq; facultate preditum. Et motus quidem hi (qui omnes vltimi sunt, vt pote qui ad substantiam corpoream pertinent) singuli ab intellectu proficiscũtur: in eóque qui inter hos postremus est, leuis inæqualitas inest. Quia nulla alia virtus adest, quæ aliter moueat: neque inter id quod mouet rémque eam quæ mouetur, proportio commutatur. Neque vero hic motus qui ab intellectu est infimus, vita est quæ omnino ad plura pertineat, sed ad vnum quiddam: ideóque ad partem accõmodatus est & sensilis, nõ communis, nec in alio. Quoniam*

intellectui non inest nisi vitalis ratio. Ex quo motiones eiusdem substantiæ effectrices dicimus: quòd per easdem substantiæ sint, nec sine illis existant. Agit enim illa in singulas substantias motionibus intelligentiæ propriis, quæ originem habent ab authore eius operis quod verè primum est, ideóque ea virtute præditum cui par alia esse nullo modo potest. Atque has quidem intellectus motiones, ipsæ substantiæ consequuntur. Mouetur autem ad rem, huius intelligentiam conformando. Quæ quia ab ipsa re non separatur, in hac illius locus est, non absolutè, sed quia alium ab eo nullum habet. Porro intellectus semper mouetur eo motu qui est intelligentiæ, nec vnquam quiescit: alioqui ne tum quidem existeret. Neque vero vnquam intelligēdi munus intermittit: quoniā in hoc consistit eiusdem substantia, idémque est intelligens & intellectus. Motúsque eius est ipsa intelligendi functio, quæ, vt antea effectum est, substātiis omnibus vitam dat & perfectionem. 3 Si quidem substantia intellectus singulas substantias inferiores conseruat, eiusdémque vita, vitam inferiorum: cum sit harum quædam communio.

SCHOLIA.

1 Ex conditione primum appellat, quod non est tale omnino & absolutè (hoc vero est natura) sed ex relatione quadam ad nos. Quod autem nobis primum est, idē natura vltimum. Quoniam duo hæc in ordine, sunt sua ratione contraria. Et certè agens natura primum, nobis vltimum, non solum omnis materiæ expers, sed inter immateriata primarium. Agens vero natura vltimum, nobis primum, omnino materiæ addictum & ei quod patitur contiguum: quodque idcirco necesse est agendo pati: cum illud omnino primum, agendo naturam impatibilem seruet sicut Arist. docet lib. 1. de ortu.

2 Primus intellectus semper intelligit, noster non item: sed quotiescunque vult, quemadmodum Arist. docet lib. 2. de animo. Et quia idem intellectus Platonicis dei filius est, (vel certè re coniunctus cum ipso verbo, dei filio) idémque deus: & quicquid in deo est, deus ipse est, idcirco illius perpetua intelligendi functio, eiusdem est æterna & incommutabilis essentia. Intelligēdo vero res procreat, vel certè formas rerum specificas & ideales intra se excitat. Quia idem idea est idea-

rum omnium. Quare eiusdem motiones in intelligendo, substantiarum singularum effectrices esse dicuntur. Quas primum ab æterno intra se concipit: deinde per naturam in materia imitando exprimit. In quo est secunda rerum generatio, tempore definita, quę externa nominatur: in illa autem intellectus functione, prima & interna procreatio, quæ ab æterno est.

3 Vt enim in arte disserendi, res singulæ vniuntur in essentia speciei qua participant, sic res omnes à primo intellectu procreatæ, in eodem tanquam in communione principij, coniunguntur. Imo cum ipse idea sit ideatum omnium, rerũ quoque omnium est essentia.

Motus qui contingunt in mundo intelligibili, à sensilibus distinguuntur: quòd in illis, nulla sit successio, nulla reuera extremorum distinctio, quæ in iis manifestè apparet.
Cap. 5.

1 *Omne quod mouetur in mundo superiore, siue intellectus sit, siue animus, siue aliud quidlibet, id vitali motu mouetur, eundémque perpetuat, pro ratione eorum cum quibus existit. Vt enim viator natura terrenus, terra iter facit, quæq; è terra oriuntur, terrena sunt, quanquam maxima varietate distincta: sic omnia quæ in illa vitali regione mouẽtur, vitali quoque motu ciẽtur, eadémque sunt vitalia. Et quidẽ illic quod fertur, à viæ principio ad finem defertur (prout scilicet finis atque principium in illis reperiuntur) atque ita ad finem defertur, vt à principio non distet, ratione contraria ei quæ inferiori mundo inest, in quo quod à principio ad finem translatum est, id a principio differt.* 2 *Illic vero si quod ad finem perlatum est, distaret à principio, id nec intelligibile esset, nec vitale reipsa, sed facultate. Quare idem suo quodam interitu desineret, eiusque originem aliud antecessisset. At quod intelligibile est & vitale reipsa, idem quoque semper est, ac in vniuersum semper se habet eodem modo.*

SCHOLIA.

1 Res omnes mouentur motibus ad naturam suam accommodatis. Quare quæ omnino sunt intelligibiles, nec vlla ex parte materiatæ (quales omnes sunt quæ

mundo intelligibili continentur)mouentur modo ad naturam primi intellectus accommodato:qui omnino actu est,vel potius actus,nihil cum potestate materiæ communicans.Itaque non fit in eis cum successione temporis progressio a potestate ad actum : sed eodem puncto,id quod moueri dicitur, in principio est & in fine,motionémque suam inchoat & perficit.Quod de corporum naturalium motibus,in sensili mundo dici nullo modo potest.In quo obseruandum est quid inter motus physicos & metaphysicos intersit.

2 Nam in intelligibilibus si reuera principium motionis à fine distinctum est, quod erit adhuc in principio,idem quoque potestatem tantum habebit ad finem. Ergo si hanc potestatem excitando ad finem moueatur , id nouam perfectionem acquiret. Erat igitur ante talem motum , aliqua ex parte imperfectum & per hunc motum commutabile. Quia nouæ perfectionis comparatio , in subiecto, necessaria quædam est commutatio. Ex quibus efficitur, fore vt ea quæ mundo intelligibili continẽtur,in vniuersum non semper se habeant eodẽ modo. Quod in illis absurdum est.

Inquiritur quo modo intellectus se habeat ad vniuersalia, itémque hæc ad res singulas, in quarum communione existendo, in multitudinem abeunt : sicut ab eisdem dum cogitatione abstrahuntur, ad vnionem reuocantur. Cap. 6.

1 *Omne vniuersum, intellectus est, ac retro commeando, omnis intellectus quiddam est vniuersum : non ita tamen vt vniuersum, sit preter singula omnia. Si quidem iis omnibus sublatis tollitur vniuersum, quod ad intellectum pertinet,ipsáque singula subinde commutabilia sunt additionéque & detractione variantur. Vniuersa autem omnino incommutabilia : aut veritatem ipsam perire erit necesse: quodquidem absurdum est. Quare cum omnis commutationis expers sit vniuersum, in quo est intellectus forma, consequitur substantiam intellectus commutari nullo modo posse. Intellectus autem formarum vniuersitas quædam est, quia in se continet vniuersitatem ipsam rerúmque formam. 2 Neque tamen res ipsa intellectui impressa est : sed intellectus sibi fingit aliquid rei simile eidemque accommodatum . Quemadmodum preteritum omne atque futurum ei respondet quod intellectui inest, ac scientia in animo*

animo nostro rebus significatis conuenit. Alioqui si formæ in animo, rerum formis non responderent, harum scientiam non haberemus, neque per illas veritatis cognitionem consequeremur. Præsertim cum rei veritas, res ipsa sit: quæ ab ipsa re aliena futura, atq; adeo ipsi rei cõtraria. Animi enim contemplando, formant in se ipsis veritatem ex singulis, quæ secundum singulorum speciem res ipsa est. Quare cum homo aliquid intuendo, formam eius detexerit, animo imprimit imaginem quæ illi proportione quadam respondet. Idémque si rursus sine vlla varietate viderit, agnoscit: quoniã cum imagine ad rem ipsam, certam proportionem habente, conuenit. Quod si etiam tertiò proponatur sed immutatum videat, iam non agnoscet: quia à prima imagine, quæ in animo est, dissidet. Sic vero & artifex prius sibi in animo formam quandam effingit, deinde huius similitudinem in materia vna vel pluribus exprimit. 3 Quoniam rerum ad numerum distinctarum, multitudo, ex materia nascitur. Quod si alius ex iis imaginibus arte elaboratis, in animo exẽplar sibi sumeret, ac postea huic similes imagines in materia efformaret, adhuc formarum singularũ quædam multitudo existeret. Nec certè si illæ formæ singulæ tollantur, vniuersam tolli erit necesse. Ex quibus concludimus, formas per abstractionem à materia, in vnionem colligi, easdémque per impressionem in illa, multiplicari. Itémque vniuersa, constantia esse: singula vero commutabilia atque caduca. Quare intellectui semper insunt imagines rebus aliis proportione respondentes. Si quis vero contendat rerum rationes in intellectu, instrumenta esse illarum vicem obeuntia, nec vllo modo ab eis differentia, dicemus si hoc recipia-

tur dandum quoque esse (quod fieri nullo modo potest) formam in intellectu ignobiliorem esse quàm in se ipsa sit. Quæ etiam ratione non contingit ut eadem sit cum re in sensum cadente, & ut ab hac nullo modo distinguatur.

SCHOLIA.

1 Positum enim est antea, in intellectu primo, idem esse reipsa intelligens, cum eo quod intelligitur. Quare si quod intelligitur, est vniuersum, ipsum vniuersum, intellectus erit quodam modo, & contra. Atque si vniuersa incommutabilia sunt, intellectus quoque naturam oportebit esse omnino incommutabilem. Ex quo suspicor huic loco deesse negationem, legendumque, si quidem iis omnibus sublatis non tollitur vniuersum, quod ad intellectum pertinet. Presertim cum id sententiæ connexio postulare videatur, & ad finem capitis subiiciatur non esse necesse si singulæ formæ tollantur, vniuersam tolli. Quanquam memini aliter dictum in Categoriis, sublatis primis substantiis, nihil cæterorum posse remanere: quæ duo in philosophia conciliare facillimum.

2 Sic Aristoteles scribit lib. 3. de animo, non esse in intellectu ipsum lapidem, sed lapidis imaginem, quæ notione continetur. Sed hoc interest, quod in intellectu primo sunt ideæ rerum quæ harum substantias antecedunt & continent. In nostro vero, notiones, de rebus excitatæ per media phantasmata, quæ rebus ipsis sunt posteriores. Vtræque tamen res ipsas intellectui suo modo representant: alioqui per easdem rerum scientia haberi non posset.

3 Materiæ partitio in participatione eiusdem speciei, causa est rerum sub hac solo numero differentium. Quare Aristoteles lib. 1. de cælo, in quæstione an plures mundi solo numero à se inuicem differentes, esse potuerint, docet mundi speciem & formam ex se pluribus communicari potuisse: sed quia tota materia in hoc absumpta est, nec eius quicquam extra est relictum, mundos plures solo numero differentes, esse non potuisse.

In intellectu quid vnum sit, quid multiplex, quæque ratio materiæ primæ itémque formæ: in quæ duo principia desinit corporum naturalium dissolutio. Cap. 7.

Reuersi ad id ex quo sumus digreßi, eius quod dictum est, vniuersum vnum, in singulis multiplicari, exemplum subiicimus in planta & animali. Quorum utrumque quamuis vnum sit, de plurimis tamen dicitur. Quoniam formæ agentes, in multiplici materia existentes, numero differunt: quæ si in vna sint, specie distinguũtur. 1 Alio etiã modo res vna multiplex est, ut corpus, quod quamuis vnum sit, ta-

men ratio agens in eo conformat membrorum varietatem: nempe os, oculos & nares: quorum quodlibet quãuis vnum esse dicatur, non tamẽ omnino vnum est, sed rursum ex aliis pluribus compositum, vt ex neruis, venis, cartilaginibus. Neruus quoque etiam si vnus sit, adhuc componitur ex elementis, quod de cæteris similibus eodem modo iudicandum. Vt de sanguine, qui quanquam vnus sit, ex aliis tamen rebus constat: Atque ita semper progrediendum, donec ventum sit ad materiam primam & formam: quorum vtrumque cum simplex sit, substantia est vna. 2 Horum vero si nomina explicanda sunt, materia prima substãtia est informis, & forma vera id à quo res habet id ipsum quod est. Quibus expositis, statuamus intellectum non esse vnum ea vnione quæ ad corporis formam pertinet. Quoniam vt antea diximus, illo superior est atque nobilior. Neque item in intellectum, sicut in corpus, multitudinem cadere: sed quia in se rationem continet per quam plura vniri possunt. Habet enim formam vnam qua definitur & ex qua omnes internæ externæq; formæ oriuntur. Si quidem quod vniuersum est, vnit singula: nec horum aliquo sublato ipsum tollitur. Aliunde vero manat facultas cogitationis, quæ intellectui subiecta, nec ab hac intellectus ipse diuiditur, sicut vnum corpus ab altero. Quoniam vnum corpus ab altero distinguitur, externa linea latus cingente: intellectus autem à cogitatione, per ea quæ interna sunt.

SCHOLIA.

1 Hec corporis naturalis analysis in principia omnino prima & simplicissima. illud vero cum vnum sit vnione formæ principis à qua informatur & perficitur, tamen vt hæc sua essentia simplex, facultate & actionum varietate est multiplex: sic illud ratione suæ formæ vnum, sua in partes analysi maximè varium & multiplex apparet. Per rationẽ autẽ agentem in conformatione membrorum, intelligenda est vel virtus formatrix semini insita, vel ea potius quæ ab idea. Hæc

enim non alind est quam mundi mens & recta omnium ratio per medias formas naturales materię communicata.

2 Indicat horum duorum principiorum, vt prima sunt, difficilem esse explicationem per definitionem accuratam. Materia enim prima, vt scribit Plato in Timæo, non nisi spuria quadam ratione intelligitur: & vt Arist. ait lib. 1. physic. tantum per quandam analogiam. Ad definiendam vero formam primam, quæ differentiæ essentiæ possent nobis suppetere, cum ipsa prima sit rerum singularum essentia? Quare in iis oportet nos esse contentos altero definiendi genere, non quidem causas essentiæ continente, sed tantum vim nominis explicante. De quarum definitionum differẽtiis vide Arist. lib. 2. Analyt. post. & initio lib. 2. de animo.

In intellectu quomodo omnia esse dicantur & in iis procreandis quo à primo rerum omnium opifice differat. Cap. 8.

1 *Omnia in intellectu esse dicimus non ita tamen vt ei res absolute insint, aut cum eo componantur, sed quia ille has procreat, atque conseruat. Nihil enim, quod quidem constans sit, à nobis cogitari potest, nisi in intellectu: & si hunc tollimus, tolli quoque res ipsas cum sua vniuersitate erit necesse. Intellectus autem cum sit omnia (nempe quoniam omnia efficit) vnum per aliud procreat. Agens vero primum, quæcũque procreat, ea sine medio simúlque & in pũcto procreat. Itaque verè procreat, quoniam alia re non indiget: nec vnum ex alio efficit: nec ab alia causa adiuuatur, aut ad agendum excitatur. Quare sicut omnia ab hoc procreata sunt, sic ad idem reuertuntur. Atque ideo primum agens appellatur, nomine in rem aliam nullam cedente: si quidem alia omnia ab illo sunt exorta.* 2 *Ipse vero intellectus in efficiendo, agens secundum est, virtutéque primi efficit omnia quorum ipse est causa. Quoniam præter contemplationem suæ essentiæ, alia indiget qua in agens primũ referatur: neq; eius operatio tota simul perfecta est, neque momentanea.*

SCHOLIA.

1 Effectus enim omnes suo quodammodo dicuntur esse in causa efficiẽte, cuius virtute continentur, & omnes imagines in suo exemplari per cuius imitationem efformantur. Intellectus autem primus, causa est efficiens & exemplar omnium

eorum quæ sensili mundo continentur. Itaque quia Platonici nullam constantiā agnoscunt, nisi in causis exemplaribus, quas ideas appellant: in rebus vero naturalibus omnibus, materiatis idearum imaginibus, iidem summam inconstantiam prædicant, idcirco hoc loco dictum est nihil esse cōstans nisi in primo intellectu.
2 Deus ad procreandum nullam excipit virtutem superiorem aliunde influentem: neque vero indiget causis secundis adiuuantibus. Intellectus autem primus in agendo dirigitur virtute à deo influente & vtitur causis secundis quæ in naturæ ordine sunt determinatæ: vt agens sit deo inferius, natura autē superius: quod facile colligi potest ex iis quæ antea dicta sunt.

In continendi modo intellectus primus cum vniuersalibus comparatur: deinde cognitio intellectus ab ea distinguitur quæ cū sensu coniuncta est. Cap. 9.

1 *Sicut omnia animalia intellectui subiecta, per rationem suam sunt in eodem intellectu: sic animalia omnia per rationem suam in animali vniuerso. Si vero dicimus sub vtroque animali plura contineri, verè quidem dicimus, sed animalia mundi inferioris imperfectiora sunt & pauciora iis quæ ad superiorē pertinent.* 2 *Nec animal à vita abstrahente defertur, quin desinat in minuta quædam animalia imbecilliora illisque insit in quibus ea vita viuentibus quæ singulorum est, communis vitæ vis terminatur. Quoniam illis nihil aliud est subiectum. Quod vero dictum est, contingit cum nostra contemplatio tota est intellectus & à sensibus omnino separata. Si quidem sensus primo singulorum est, deinde ad species & genera refertur. Intellectus vero primū vniuersa contemplatur, deinde etiam singula. Discrimē autem quod inter supremum animal vniuersum & singulum assignatum est, in sola forma consistit. Neque enim animal vniuersum, ab animalibus singulis absolutè differt: sed hæc inter se eo modo se habēt,* 3 *quo amor quem iam in vniuerso exposuimus, ad eum qui sensili mundo inest. Quem dissoluit nonnunquam victoria elementorum, ex quibus res componuntur. Quoniam hic non coniungit ea quæ sunt, nisi ad-*

uentitia quadam vi, nec ſine relatiòne ad primarium finem. Amor autem alter qui ad intelligibilem mundum pertinet, omnia mutua voluntate connectit, vitalíque vnione atque ea appetitione quæ ad finem primarium refertur. Quare nũquam hic diſſoluitur. Si quidem nulla eſt exuperantia quæ id præſtare poſſit. Præſertim cum inter ea quæ ſuperiore mũdo cõtinentur, nulla ſit diſcordia, nec vllum odium ſed ſumma conſenſio vitæque communio: à qua inferiora vitæ principium accipiunt.

SCHOLIA.

1 Rationes omnium animalium intellectui primo ſubiectorum, appellat eorundem ideas quæ in illo colliguntur & vniuntur: imo in his vnitis eſt ipſius primi intellectus eſſentia. Quoniam hic, vt Plotinus ſcribit cap. 2. lib. de multitudine idearum, penes ſe ipſum habet propter quid potiſsimum ſingula, quæ in eo ſunt, ita ſe habeât. Quæ vero in eo ſunt, eadem ille ipſe intellectus exiſtit, tum vniuerſim, tum ſigillatim. Ergo ideas ſingulorum animalium ſpecie differentium, in mundo intelligibili, relatas ad primum intellectum, in quo vniuntur, comparat cum formis ſenſilium animalium, in mundo hoc ad ſuum genus relatis, in cuius quoque natura conueniunt: quia hac ex æquo participant. Sed participandi modo diuerſo, ſicut à nobis obſeruatum eſt & pluribus expoſitum commentario in Alcinoum, in digreſsione de vniuerſalibus & ideis.

2 Locus hic magnam habet ſententiæ obſcuritatem, quæ non facile potuit ſuperari. Videtur autem indicare voluiſſe quod noſtris prælectionibus in Spheram ex Pythagoricis expoſuimus, abſtractionem, quæ propria mathematicorum, mediã eſſe inter functionem ſenſus & intellectus. Vnde etiam mathematica, inter phyſica & Metaphyſica media eſſe dicuntur. Quare ſi ab abſtractione deſcendimus, delabimur in ſenſum & in ſingula animalia quorum natura valde imperfecta eſt. Si autem ſupra abſtractionem aſcendimus ſummo philoſophiæ munere, ad ea erigimur quorum cognitio tota eſt intellectus & a ſenſibus rerumque ſenſiliũ imaginibus omnino ſeparata. Quod vero ſequitur de diſcrimine ordinis, in cognitione ſenſus & intellectus, repetendum eſt ex Ariſt. cap. 24. lib. 1. & cap. vltimo lib. 2. Analyt. Poſt.

3 Amor in intelligibili mũdo, omnino indiſſolubilis eſt: quia in illo omnia ſunt vnius modi: ſummaque rerum omnium concordia, quæ diſcordię proſus eſt expers. In ſenſili autem, amor omnis diſſolubilis. Quoniam eorum quæ in hoc continentur ſumma eſt in quantauis vnione, naturæ diſſimilitudo, & in concordia lis atque diſcordia: quæ ſemper diſſolutionem molitur. Sicut in humano corpore animaduerti poteſt. In quo quatuor primarum qualitatum, quarum eſt mixtio & temperatio, concors eſt diſcordia, & diſcors concordią: ideóque idem legibus naturæ neceſſario eſt diſſolubile. Pertinent ad eandem ſententiam duo vniuerſitatis principia à Platone poſita in Timæo, idem & alterum: idem quidé in æternis, ſemper eodem modo ſe habentibus, alterum autem in caducis. Cum quibus etiam conferenda ſunt quæ de amore dicta in Sympoſio.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 9.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

In cuius initio à vetere latino interprete obseruatum est, caput primum in græco codice defuisse: quod vetustate esset exesum.

Animi functiones, in duplici mundo distinguuntur, distinctionísque ratio repetitur ex eiusdem habitudine ad corpus. Cap. 2.

ANIMVS substantiæ intelligendi vi prædita, iure fruitur hoc ipso quod ex eius est numero cuius actio facultate non est nobilior. 1 *Quare inter substantias intelligendi vi præditas, hanc eandem facultatem habentes, alio non indiget à quo vis ipsa ad actionem excitentur. Si quidem purus est & perfectus, ac in spiritus intentus, quemadmodum aspectus in ipsa sensilia. Idem vero in sensili mundo, alio indiget à quo ad actionem excitetur: alioqui ne ea quidem percipere potest quæ sensilia sunt. Hoc vero efficit substantiæ quasi cortex, quo homo hic inuoluitur.* 2 *Quare neque attingit rerum essentias, neque harum vires, nisi prius apertis corticibus quibus res ipsæ teguntur. Quod vt consequatur, intellectus agentis ope indiget. At postquam essentiæ à se ipsæ*

abstractæ sunt, viréſque detectæ, tum ipſe animus per ſe ſatis potens eſt ad eas explorandas, neque alio intellectu agente indiget. Hoc etiam adiicimus, animum in mundo intelligibili eſſentiam ſuam intueri, & à reliquis quæ eodem cõtinentur, confirmari. Quoniam cum illis communem habet naturæ ſimplicitatem & ad id quod ſimplex eſt, cognoſcendum, ſubſtantiam quoque ſimplicem oportet adhiberi. Quandiu vero hic in ſenſili mundo exiſtet, nihil meditabitur ſine maximo labore: idq́; quia multiplici cortice tectus eſt & impeditus: nec proprium actum habet, qui ad contemplationem poßit ſufficere. Quia hic compoſitus eſt: actus vero compoſitus, vt antea dictum eſt, non poteſt ea quæ ſimplicia ſunt, intelligere. Neque vero idem animus explorare hic ea poteſt quæ ad intelligibilẽ mundum pertinent, niſi ille poſt deſcenſum, adhuc in animum ad actionem influat: neque eas ſubſtantias attingere, quas in eodem mundo intelligibili prius intuebatur. Quoniam huius intellectus demerſus eſt ab eáque contemplatione auocatus, qua antea fruebatur.

SCHOLIA.

1 In formis à materia ſeparatis, actio facultate nobilior non eſt. Quia ipſa facultas in perpetua eſt actione, nec vnquam ocioſa. Ideoque per actionem, perfectionem nouam non acquirit. At in formis cum materia communicantibus, ſemper actio facultate præſtantior eſt. Quoniam facultas ipſa plerúnque ocioſa eſt, & per actionem, nouam perfectionem acquirit. Sicut in oculo animaduerti poteſt: in quo videndi facultas plerúmque ocioſa eſt, non excitato inſtrumento, aut deficiente lumine extrinſecus influente. Ipſo vero videndi actu, eadem de integro perficitur. Itaque animus in mundo intelligibili cum forma ſit à materia omnino ſeparata, ſicut poteſt intelligere, ſic actu intelligit, neque actu intelligendo, nouam perfectionem acquirit. At in nobis cum corpore nonnihil communicans, diſtinctam habet intelligendi facultatem, ab eiuſdem actu: & vt facultatem ipſam in ſuum actum educat, vel vt eádem in intelligendi actu ſine errore dirigat, alio indiget, nempe ipſo intellectu agente: ſicut oculus lumine. Quæ omnia cum platonica doctrina maximè conſentiunt: nec vero, perpaucis mutatis, quicquam dici poteſt ad religionem noſtram accommodatius.

1 Cortex substantiæ, hominē in vita hac inuoluēs, in eo consistit quod vt poëta ait, Terreni hebetant artus moribundáque membra. Nam propter ea impedimenta, quæ nascuntur ex corpore, contemplando non facile assequitur veras rerum essentias: sed circa has, vt Plato ait, similis est somnianti. Nec vero prius assequitur, quam animū suum corporis carcere liberauerit, & per abstractionem rerum formas à materia separauerit. Hoc autem est, vtrinque, id est tam ratione intelligentis, quam eius quod intelligitur, corticem detegere.

Ex superioribus natæ dubitationes explicantur, eadémque opera amplius illustratur, quod proximè dictum est de modo intelligendi in vtroque mundô. Cap 3.

Si quis vero forte opponat, substantiam quæ secundum facultatem aliquid contemplatur, quando in actu erit, idem multo magis esse facturam: quòd cum actus facultatis perfectio sit, illa tum multo firmior & alacrior sit futura: fatebimur 1 actum quidem esse facultatis perfectionem, cum illa rem contemplatur huius imaginem recipiendo. Tum enim facultatem quæ hanc suscipit, perfici contingit. Quando vero ipsa facultas ex se satis potens est ad intelligendum, & nulla recepta imagine, reipsa contemplatur, tum accedens imaginis impreßio, nocet profecto & facultatē ipsam quodammodo labefactat. Quoniam imago huic fere contraria est, vel certè cum ea nullam naturæ communionem habet. Amplius vero si quis contendat futurum vt animi facultas intereat 2 si ea perfectionem suam recipiendo contemplatur, præsertim cum eo modo actum suum recipiat, actus vero, ipsius potestatis interitus esse videatur: dicemus facultatem actum suum recipientem non interire, sed efficacem reddi atque perfici. 3 Quoniam postquam animus reliquit contemplationem rerum intelligibilium quæ huic in mundo altero solatio erant, eidem in inferiore mundo facultas laboriosa adiungitur. Si quidem in ipsa natura substantias comprehendit, non cognitionis modo qui in puncto absol-

T

uatur: ſed qui cogitationis diſcurſu quodam indiget. Prius autem quam deſcenderet, res aperte intuebatur, non harum cognitionem ex cogitationis diſcurſu hauriebat.

SCHOLIA.

1 Loquitur de actu noui aliquid afferente ei ſubiecto, quod prius ad hunc erat tantum in poteſtate. Tum enim hæc imperfectio quædam eſt, actum ipſum reſpiciés vt perfectionem ad quam aſpirat: quod poteſt colligi ex iis quæ in phyſicis de motu ab Ariſt. diſputantur. Atque hæc eſt ea poteſtas, cuius deum omnino eſſe expertem idem docet in Metaphyſicis. Quia neque in eſſentia imperfectus eſt, neque in affectionibus vllã perfectioné nouam poteſt ſuſcipere. Quamquam in hoc exagitatur à Theſſalo methodico, ſcholis Metaphyſicis, magna profecto ignoratione rerum philoſophicarum ſicut oſtendimus Commentario in Alcinoum, in digreſsione de Deo.

2 In poteſtate de qua hic agitur, duo inſunt, priuatio actus & ad eundem aptitudo. Illa, aduenta nte actu tollitur, hæc vero perficitur: ſicut in queſtione de priuatione & motione phyſica, à nobis dictum eſt Commentario in lib. 1. prioris noſtræ deſcriptionis phyſicæ.

3 Digna obſeruatione eſt diſtinctio contemplationis in animo noſtro à corpore ſeparato & cum eodem coniuncto nonnihilque communicante. Nam à corpore ſeparatus, fruitur expedita contemplatione per intuitum primæ cauſæ, ſine vllo diſcurſu ab imaginatione initium hauriente. In vita autem hac, primum ex ſenſibus recipit rerum imagines, deinde ex iis notiones vniuerſas ſibi effingit: hócque cum laborioſo quodam cogitationis diſcurſu perficit. In quo nihil adhuc eſt quod in naturæ lumine ad illuſtrandam animi immortalitatem poſsit ſufficere: ſicut etiam Commentario in Alcinoum oſtendimus, in digreſsione de animi immortalitate.

De aſcenſu animi ad mundum intelligibilem, & quo modo hic partim eadem facultate, partim diuerſa, in vtroque mundo intelligat. Cap. 4.

1 Porro ſi quis amplius inquirat quo modo animus in hoc orbe ea intelligat quæ ad ſuperiorem pertinent, ſéque ad illa dirigat, an ſcilicet eadem facultate qua illa prius cognouerat, an vero nouo quodam actu ad facultatem adiecto: equidem ſi exiſtimamus illum eadem facultate hic & illic, ea quæ intelligibilia ſunt, contemplari, erramus. Quoniam animus in ſuperiore mundo ſimplex eſt & ſolutus, hic vero corpore inuolutus & ſentiendi facultati ſubiectus. Aut ſi arbitra-

mur eundem hic actu quodam, sine vlla facultate cognoscere, in eo quoque aberramus. Si quidem omnia quæ rei alicuius cognitionem assequuntur, eandem contemplantur vi facultatis propriæ & naturalis, quæ separari non potest. Itaq; constituemus animum hîc intelligibilia contemplari eadē facultate qua illa intuebatur cum in superiore mundo existeret: nisi hoc interest quod cum corpore coniunctus, alio indiget cuius virtute, abstracta consideret, nempe actu receptionis, quo facultas informata, illa perspicit. In mundo autem superiore sola facultate erat contentus: neque eiusmodi actus in eo necessarius. Quoniam in intelligētiis superioribus, quæ reipsa contemplantur, ipsa facultas perfectio est. At in corporeis actus per quem finem assequuntur, facultatem perficit. His itaque positis, ad institutum reuersi, dicimus animū eadem facultate in vtroque mundo intelligibiles substantias contemplari. Præsertim cum ea facultas qua mundum alterum contemplabatur, cuiusque actio, quædam est excitatio, hic etiam animo subseruiat: quanquam non eodem modo.
2 *Nam in illo fouebatur facili contemplatione, hîc difficili & laboriosa. Atque hæc quidem facultas in hominibus beatis excitatur, per quam hi ea quæ nobilissima sunt, intuētur. Et in vtroque mundo illa eadem facultas existit, in illo scilicet principia prima contemplans, siue cogitatione, aut nouæ imaginis impressione: in hoc vero, se ipsa detegens atque excitans. Adeo vt animus superiorem mundum contemplaturus, ab hoc inferiore facultatem suam auocet.* 3 *Quemadmodū enim homo cum montem aliquem superauit, inferiora circunspectat, quæ aliter intueri non poterat: sic animus postquam sua facultate excitatus, ascenderit, superiorem mundū*

eaque quæ in illo ſunt, contemplatur. Néc vero hic ſine aſcẽſu illa intueri poteſt: quo non indigebat cum in altero mundo verſaretur. Atque eiuſmodi aſcenſus animi functionem continet per quam hic ſuperioris orbis eſſentias contemplatur, ſuáque facultate aſcendens primum attingit de orbibus cæleſtibus eũ qui infimus: deinde ab hoc progreditur ad proximum, donec ad ſupremum peruenerit. Quemadmodum in ſubſtãtiis materiatis, ab ea quæ magis compoſita eſt, ad eam minus, proficiſci ſolet: donec compoſitam omnino reliquerit & ſimplicem attigerit. Rurſum vero animus à ſummo cælo ad ſui cognitionem reuertitur: quia quæ in cælo ſunt quæque cælo ſuperiora, vtraque perfecta ſunt atque ſimplicia.

SCHOLIA.

1 Alius quidem eſt intelligendi modus, ſicut ex ſuperioribus facile colligi poteſt: ſed ſubſtantia principij in vtroque mundo intelligentis, vna eſt & eadẽ. Quare & facultas prima vna quoque erit quodammodo: quia hęc iu principij eſſentia tantum ſpectatur. At huic in ſenſili mundo, ratione corporis cum quo nonnihil communicat, aliquid adiungitur: ex quo diuerſitas quædam exiſtit. Nempe quod animus in corpore, non intelligit niſi à viſis excitetur, & ab iis rerum imaginibus quæ ex ſenſibus hauſtę ſunt. Vnde ipſis ſenſibus in mundo hoc qnodam modo ſubiectus eſſe dicitur: in quibus conſiſtit actus receptionis, quem vult accedere ad eam facultatem qua idem animus in ſuperiore mundo erat prædirus.

2 Diſſimilitudinis huius cauſam à corpore proficiſci eſt neceſſe. Nam quia in mundo altero animus corpore omnino ſolutus eſt, nihil in eo eſt qnod contemplando defatigationem afferat. In mundo autem hoc, contemplando, corporis miniſterio indiget. Hoc vero non poteſt ſine defatigatione muneri contemplandi perpetuo ſubſeruire. In quo ſigna contraria occurrunt in queſtione de eiuſdẽ animi immortalitate. Nam quod hic cum contemplando perſpexerit, quod magnas habebat difficultates, nihilo poſtea ſit alacrior ad cætera contemplanda, diuinitatis eſt & immortalitatis argumentum, quod Ariſtoteles notat cap. 4. lib. 3. de Animo. At quod in proprio munere, idem cum corpore quotidie quodãmodo defatigatur atque extrema ſenectute eoúſque nonnunquam debilitarur, vt in delirium incidat, hoc dubitationem affert, in qua explicãda alio loco laborauimus: nempe commentario in Alcinoum, in digreſsione de animi immortalitate.

3 Hic modus eſt aſcendendi ad mundum intelligibilem, Platonicis nobiliſsimus. In quo purgandus eſt primum animus per virtutes morum: deinde in contemplationem veritatis excitandus. Contemplationis vero primus gradus in phyſicis, ſecundus, in mathematicis abſtractionibus, poſtremus in metaphyſicis. De quo vide Plotinum libro de triplici aſcenſu ad mundum intelligibilem. In

iis vero notari debet ordo duplex, vnus à simplicissimis ad composita vel à separatis ad materiata, qui ad naturæ legem pertinet: alter cõtrarius, à materiatis ad separata & à compositis ad simplicia, qui ad nostram imbecillitatem accommodatus, id est ad intellectus nostri communicationem cum corpore: propter quam omnis nostræ cognitionis initia, haurienda sunt ex sensibus, & ex effectis rerum causæ inuestigandæ.

In animo cum corpore coniuncto qualis remaneat cognitio mundi superioris, in quo ante eiusmodi coniunctionem versatus est: & vtrum hæc vitæ superioris memoria debeat appellari. Cap. 5.

1 *Intellectus ab agente secundus, hic ea repetit quæ in superiore mundo nouerat. Quare minimè mirum debet videri si idem animus cum cælestes orbes superauit, memoriam seruet eorũ quæ vidit fecítque in inferiore mundo: siq; etiam in ipsis orbibus, memor sit cælestium rerúmque abstractarum: presertim cum in illis confirmatus sit, nec ab ipsis corporibus formísque primis, sapientiæ suæ vllam immutationem capiat. Si quis vero quærat cum cælestes orbes immutẽtur (neque enim pristinam affectionem retinent) num etiã animus eorum essentias intueatur, sciénsque in illis aliquid agat: dicemus animo perspectas esse cælestium orbiũ virtutes atque actiones, neque hunc in illis decipi quòd actiones immutari credit, virtutes vero permanere. Nam si cælestes orbes, sicut nonnullis veteribus placuit,* 2 *ratione sunt præditi, cõsentaneum est illos animo notos esse, etiam si eorum habitudo immutetur. Si quis vero amplius ambigit quomodo animus* 3 *qui à superiore mũdo demissus, cælestibus corporibus adest, possit adhuc eius memor esse, si memoriam non habuit prius quam ab illo descenderet: nos quidem ponimus eum tum in cælestibus orbibus, tum in mundo intelligibili memoriam habere, sed huius functiones non apparere nisi insit alicui ex corporibus variis iisdémque inter se differentibus. Neque*

tamen idcirco retinuit habitus iamdiu preteritos: adeo vt omnino venturus fuerit in obliuionem ſuperioris mũdi, niſi leuiſsimum ſignum ſatis eſſet ad excitandam memoriam. In quo ſi qui arbitrẽtur temporis breuitatem generationúmque paucitatem obliuionis cauſam eſſe, adeo vt cum in orbem rerum ortus redeant, longe ante præteriti temporis memoriã animus amittat, nec amplius recordetur eius quod antea præcognitum, propter interuallum quod à primo ſtatu interiectum eſt, diſſolutionémque vel internecionem quam continuatus motus attullit: ex eóque accidere credat vt animus ſuperioris mundi memoriam amittat & propter temporis intercapedinem nihil eorum ſeruet quæ antea nouerat, atque tandem belluarum animo ſimillimus efficiatur, quod quidem in iis eſt quæ probari nullo modo poſſunt: his opponemus 4 animum deſcendentem à ſuperiore mundo in inferiorem, id eſt ad declarandas actiones ſuas cum materia coniunctas, non oportere ad ea quæ infima ſunt peruenire, ſed ad definitum locum transferri, in eóque conſiſtere. Neque vero eum ad quemlibet ortum accommodari, ſed in certo conquieſcere, donec alterius imperio reuocetur atque hinc ad ea aſcendat quæ cuiuſlibet ortum ſuperant & cum quibus verſabatur prius quam cum corpore coniungeretur. Itaque vere affirmari poteſt, animus eiuſmodi, ſicut antea dictum eſt, non eſſe ea incognita quæ mundo ſuperiore continentur.

SCHOLIA.

1 Intellectum ab agente ſecundum, videtur appellare eam animi partem quæ in nobis ratiocinatur & intelligit: vt hãc diſtinguat ab intellectu mundi quem primum antea nominauit. Quia verò illius animi diſciplina in nobis, Platoni in Menone recordatio quædam eſt vitæ ſuperioris, concludit in eodem cum è corpore exceſſerit permanſuram cognitionem, eorum quæ in vita hac percepit: non tamen ſub ratione memoriæ aut recordationis. Quoniam hæc coniuncta eſt cum

phantasmate.cui nullus locus est in animo à corpore separato. Quo modo videtur intelligendum quod Arist. scribit cap.5.lib.3. de animo, post mortem in nobis nullum esse memoriæ locum: quòd intellectus impatibilis sit nihilque possit accipere.

2 Alius huius loci latinus interpres, dixit cælestes orbes rationes habere. In quo initio dubitaui num esset intelligendus de proportione quam in motibus & sonis illi apud Pithagoreos habere dicuntur. Sed quia cętera cum hac sententia non videbantur conuenire, potius existimaui ex Platonica doctrina significari cælestes orbes ratione & intelligentia esse præditos. Et quia simile simili cognoscitur, idcircò animo nostro ratione quoque & intelligētia predito, vim esse insitam per quam cælestes orbes cognoscit.

3 Animus in superiore mundo, non habuit memoriam: quia illic non est excitatus à phantasmate, cuius conseruatio propria est memoriæ: sed tantum cognouit intuendo, quemadmodum cum è corpore excesserit. Itaque in intelligibili mūdo facultatem quidem habebat recordandi & sentiendi: non recordabatur tamē neque sentiebat: quia ad hæc corpore organico indigebat: vt sentiendo, rerum singularum imagines reciperet, & recordando easdem in phantasia reconditas excitaret. Idque est quod author hic videtur significare voluisse cum dixit, animum in mundo intelligibili habere memoriam, sed huius functiones non apparere, nisi insit alicui ex corporibus variis iisdémque inter se differentibus.

4 Hoc antea pluribus expositum est cum ex Platonicorum doctrina causæ expenderentur propter quas animus ex intelligibili mundo in sensilem descendit. Vt vero hic in ascensu definitum habet quiddam supra quod non potest ascendere, nec quantamuis perfectionem assequi: sic in descensu est intelligendum eum qui in mundo intelligibili sua perfectione summa fruebatur, non posse hic ad quamuis naturam deprimi, sed ad humanam tantum, non ad eam quæ belluarum est. In quo opinionem de transitu animorum humanorum in corpora belluarum, videtur improbare: quam Pythagoricam fabulam Aristoteles appellat cap. 3. lib. 1. de animo.

Animum singulis stellis errantibus suum attribuit. De quo inquirit quo modo hæc inferiora, in quæ agit, cognoscat & vtrum rerum præteritarum memoriam aliquam conseruet. Cap. 6.

1 *Nunc inquirendum est vtrum animus qui in Sole Lunáque, aliáve stella, vel in ipso cælesti orbe inest, memoriam habeat: deinde an virtus communis animi & eius qui inest primariæ stellæ (quæ iouis est) recordetur. Quæ cum exposuerimus, simul etiam hoc assequemur, intellectus eius qui ab agente secundus est & animi qui in stellis, memoriam esse differentem. Hinc vero ducto initio dicimus animos qui in stellis sunt, non indigere ea cognitione quæ ad res terrenas perti-*

net: sicut animi qui inferiore mundo continentur. Quoniam ab iis illam non accipiunt: quare nec rerum terrenarum indigent memoria, quæ coniuncta est cum quadam progressione ab vno ad alterum. Quæ vtenti adiumento est: quo stellarum animi non indigent, ad terrena gubernãda hominésque dirigendos. 2 Siquidem illi aliter terrenorum memores sunt non per progressionem ab vno ad alterum, sed sola virtute quàm à primo opifice acceperunt. Si quis vero contra contendat animos qui stellis insunt, cum intelligibilem mundum huiusque opificem contemplentur, non posse non esse memores eorum quæ antea cognouerint, ex eóque concludat memoriam aliquam iis inesse oportere, constituemus stellarum animos, præsentem intueri superiorem mundum huiusque opificem: nec eos quicquam latere 3 sed ad ea quæ manifesta sunt & in promptu, ratiocinante memoria illis opus non esse. Quia hæc repræsentatio quædam est absentium miniméque apparentium. Quod si hoc etiam amplius quis inquirat vtrũ animus qui est in stella, absenti, mundi inferioris sibíque abditi, memoriam habeat: dicimus quod cogitationis ad rem aliquam pertinentis, habitum continet, si postea ipsa re aspectum fugiente, illum amiserit, id nouam quãdam impressionem suscipere: animos autem qui in stellis sunt nullam impressionem recipere, nec vnquam inferioris orbis cõtemplatione priuari. Porro si quis hoc quoque percontetur an num stellarum animi agnõscant se terram vniuersam vidisse, die vel mense, anoue præterito, aut etiam se superiore tempore vixisse: quoniam nisi id sentiant, futurum sit vt omnino memoria careant: equidem stellarum animi se terram ambire ac viuere cognoscunt: sed in id quod perpetuum est atque incommutabile

commutabile nulla declinatio cadit. In die autem, menſe, aut anno, præteritum ſimiléſque temporis differentiæ, declinationis quædam extrema ſunt. Nec in eo quod conſtans eſt, quia idem ſemper, heſternum quicquam eſt, alióve modo præteritum. 4 *Humanus vero animus cũ motu conſtituit diẽ, menſem & annum præteritum. Atque quemadmodum qui iter facit, pedis eiuſdem veſtigium multis terræ partibus imprimit: ſic motus ſtellæ in eiuſdem animo vnus, à nobis in multas partes diuiditur. Tempus autem in dies diſtribuitur, quoniam luci nox ſuccedit: alioqui in tempore præterit, preſentis atque futuri nulla omnino diſtinctio appareret. Ac quemadmodum aquæ gutta quãuis oculi aſpectu, quandiu deſcendit, eadem percipiatur: prius tamen in ſuprema interualli parte apparet, deinde in media tãdemq́; in infima: ſic præteritum, preſens ac futurum pro ratione motuum inferiorum à nobis diſtinguuntur, vt in partibus aliæ aliis ſuccedunt, & in eiſdem quædam priores, aliæ poſteriores. In cæleſti autem mũdo dies vnicus eſt, nec vt in hoc inferiore, nox lucẽ ſequitur: & tamen in illo dimenſiones orbium ſunt variæ, nec omnes partes inter ſe ſimiles. Si quidem Zodiacus ab aliis circulis diuerſus eſt, ex eóque minime contingit vt cum animus ſtellæ in vno ſigno eſt, ab illo dıſiunctus, ad aliud trãſferatur. Quoniam in eo ſubſtantiam fixam habet: quæ non niſi cum orbe ſubiecto defertur. Nec vero ſtellæ omnes in eódem orbe ſunt: ex quo etiam accidit vt motus habeant differentes.* 5 *Si quis vero amplius vrgeat dicátque ſtellarum animos in ipſos homines intueri, quòd aliter eorum quæ ad inferiorem mũdum pertinẽt, curam non poſſint ſuſcipere, neque hæc ſine illorum cura in ſeinuicem permutari, aut omnino commutari: ſique*

illi in homines intueri concludantur, hoc quoque concludat eosdem horum memores esse, atque in illis memoriam vigere: nos quidem dicimus vt homo ad rem presentem, in quam cogitatio non excitatur, memoriam non adhibet sed eam absolute cognoscit, expeditéque eiusdem accidentia, quòd hæc euidentissime per se sensus ipsos moueant: sic non esse rationi consentaneum vt animi qui in stellis sunt, relicto communiore modo, secundum eum cognoscant qui ad singula pertinet, qualis est memoriæ: nisi forte vt singula ipsa specie comprehenduntur. Cur autem rei alicuius nõ maneat memoria, plures causæ sunt. 6 Aut enim quia ab eo qui cognoscit, res ipsa contemnitur, quòd nullius sit momenti, ideoque nulla huius imago sensui impressa, in theca corporis, id est in ipsa memoria, quæ cũ corpore coniuncta est, reponatur. Aut quoniam cum præsens adhuc sit eius inspectio, nec quicquam (vt imago) obstet quo minus obiectum comprehendatur, cogitatione opus non est, quæ reconditum, sicut præteritum, seruet: quemadmodum si à terra sublimes, aëris spatium aliquod cõfecerimus, quota pars confecta sit, nõ meminimus. Aut quia adhuc in ignoratione versamur, ideoque imaginem cõseruare non possumus: aut denique quoniam ipsius rei recordatione non indigemus, hácque ratione nullam illius imaginem seruare volumus. 7 Quando autem nihil in cogitatione defixum seruatur, nõ meminimus. Præterea vt cum mouemur, non semper nos moueri meminimus: sic cum aliquid in tempore cognoscimus, non semper temporis notionem cum ipsa re coniungimus: nec cum aliquid discimus, quod certo mense vel anno contigerit, nos ipsius mensis vel anni, alteriusve temporis necesse est meminisse. Quoniam satis est rem ipsam

cognoſcere. Amplius etiam cauſa ea quæ perpetuo aliquid operatur, nulla huius notione indiget: quare neque memoria. Sic autem in agendo ſe habent ſtellarum animi. Postremo cum moueantur, vbi ab vno ſigno Zodiaci digreſsi, iam aliud ingrediuntur: nihil eſt neceſſe vt recognoſcant ea ſigna per quæ mouentur, quantumve ſpatij confecerint. Siquidem aduentitia vi ſeiunguntur, non ex animi propoſito, quo ab honorabiliore quadam vi in orbē feruntur eo motu qui nullam omnino habet interpoſitam quietem.

SCHOLIA.

1 Cæleſtes orbes ſtellæque in eis, præſertim quæ errantes appellantur, Platonicis animalia quædam ſunt ratione vtentia. Quoniam vt corporibus conſtant perfectiſsimis, ſic quoque forma eſſentiæ perfectiſsima. Nulla autem perfectior eſt ratiocinante & intelligente. Quare vt de formis omnino à materia ſeparatis paulo ante dubitatum eſt, quo modo hæc inferiora cognoſcerent, an per recordationem, quæ antecedentes ſenſuum functiones requirit: ſic de animo in cæleſtibus orbibus nunc quæritur, an in hæc inferiora agendo eorumdem cognitione ſit præditus & vtrum cognitio eiuſmodi, in eodem præteritorum recordatione quadam excitetur.

2 Formæ cæleſtium orbium & ſtellarum inter naturales, omnium minimè materiatæ ſunt. Quia quanquam ſint in corpore, in hoc tamen nullas habent qualitates, aut partes organicas quibus neceſſario indigeant ad proprias functiones edendas, ſed agunt ex ſeſe: quod etiã ab Ariſt. obſeruatum eſt lib. 1. de ortu. Quare in intelligendi modo, hominem in Vita hac non imitantur, ſed potius formas eas quæ omnino materiæ ſunt expertes. Has vero paulo ante diximus intelligere intuendo, non per diſcurſum à præcognito ad incognitum, qui in ea tantum cadit in quibus vigent memoria & recordatio. Ad hoc vero caput vide librum Plotini de ſtellis vtrum aliquid agant.

3 In memoria ineſt conſeruatio rerum præteritarum & abſentium, per harum imagines in phantaſia reconditas: in recordatione autem excitatio memoriæ per leuiſsima ſigna rem eam quodammodo repreſententia, cuius imago aliqua ex parte obliterata eſt vel obſcurata, ſicut colligi poteſt ex Ariſt. libello de memoria & recordatione. Quibus poſitis, nunc concluditur in animis cæleſtium orbium & ſtellarum, nullam eſſe harum rerum inferiorum memoriam aut recordationē. Quoniam eas cognoſcunt vt præſentes, in contemplatione primi opificis. Itaque ſicut intelligentiæ à materia omnino ſeparatæ, res nobis præteritas vt præſentes cognoſcunt non per memoriam vel recordationem, ſed tantum intuendo: ſic de ſtellarum & cæleſtium orbium animis conſtituit. Quanquam hoc in iſtis admirabilius eſt, quia formæ ſunt cum materia coniunctæ, ſed in intelligendo nihil cum ea communicantes.

4 Hæc intelligi debent ex diſputatione de tempore quæ apud Ariſtotelem in

physicis: in qua concluditur illud, numerum esse motus primi, à nobis distincti sub ratione prioris & posterioris. Itaque in eo nostra est distinctio prioris & posterioris: cuius obseruatio parit id quod in eodem dicimus preteritum & futurum. In æternitate autem omnia sunt vnius modi: imo tota æternitas quasi dies vnus, in quo nulla omnino partium distinctio aut dissimilitudo apparet. Vnde altera quæstio existit quam Aristoteles eodem loco tractat. An sublato numerante, tempus tollatur, an vero motus primus maneat suapte natura numerabilis, etiam si nemo sit qui hunc reipsa numeret.

5 Pertinet ad hunc locum quod ex Auicenna refert Agrippa cap.12.lib.1.de occulta philosophia, omnia quæ hic fiunt oportere præexistere in motibus & conceptionibus stellarum orbium. Et quod idē addit, infundi virtutes omnes à deo per mundi animam, particulari tamē virtute imaginum & intelligentiarum præsidentium & cōcursu radiorum & aspectuum stellarum peculiari quodam & harmonico cōcentu, Ex quo de rebus naturalibus solares quędam, aliæ mercuriales, vel lunares, vel venereæ esse dicūtur. Imo & prouinciæ regnáque pro distinctione planetarum præsidentium distinguūtur, sicut ab eodem Agrippa fusissimè expositum est toto lib.1.& maxime cap.31.

6 Sic à Cicerone memoria rerum & verborum thesaurus appellatur: quod in ea reconditæ conseruentur imagines eorum que antea sensibus percepta sunt. Ideóque huius munus cum corpore coniunctum esse dicitur: quia illæ imagines hauriuntur ex sensibus corporis. Quæ primum singulares sunt, deinde cogitatio ex iis inter se comparatis, elicit notionem vniuersam: in qua est humani intellectus primum propriúmque obiectum.

7 Aristoteles libro de memoria & recordatione, scribit memoriā omnem cum temporis cognitione aliqua esse coniunctam. Ex quo concludit ea sola animantia quæ temporis sensum habent, memorandi facultate esse prędita. Atqui tempus numerus est, & homo à Platone animal sapiētissimum dicitur quia solus nouit numerare. An igitur belluæ omnes expertes memoriæ? Hoc eidem Aristoteli aduersatur initio libri. 1. Metaph. Quare in iis vt confusa tantum est cognitio numeri: sic confusa memoria. In homine vero vtraque est distincta.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 10.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Ea inter se comparat quæ à deo procreata sunt, prout ab eodem gradibus sunt distincta: potissimum, vero intellectum primum, cum intellectu secundo, qui à seinuicem differunt vt finitum ab infinito. Cap. 1.

1 *PRIVS opifex gloria supremus est, quoniam & perfectione summus. Talísq; est, quia cætera perficit. Perficit vero hæc, quoniam & efficit. Hócque quia procreator est omnium principiorum quibus essentia quælibet continetur: vt pote qui author est vniuersi atque mundi vtriúsque. Apte autem primum vitam infundit facultatémque & dignitatem, in singula influens prout hæc gradibus suis sunt distincta. Quare quo quicque illi propinquius, eo plura ab eodem excipit.* 2 *Primum vero omnium est quo dignitate substantiæ perpetuitatéque constantiæ illi est proximum: idémque medium inter opificem primum & cætera quæ ab hoc procreata, prius ab eodem influẽtem vitam excipit, deinde hanc cum reliquis inferioribus communicat. Si quidem hoc primum omnium procreatum, sua essentia spiritus simplex &*

absolutus, in se lumen vímque veritatis maximam continet: & quod virtute honoréque inferius est, idem lumẽ habet tenuius & cum corpore veráque compositione magis cõmunicans. Atque hoc primum quòd soli formæ primæ subiectum est, eiusdémque verbo contiguum, substantiam habet inter reliquas perfectißimam: in quam vis quoque influens infinita, ab eodem vero transmissa, iam finita est: prout scilicet lumen potestatis est appetitus perpetuitatis, quod pertinet ad intellectum secundum, illi primo inter ea quæ procreata sunt, proximum. Quoniam quod primo procreatum est, id in intellectum secundum paulatim influit, ne hic perturbetur, néue lumen diffluat. Cuius infusio appetitionem æternitatis parit, in substantia spirabili, prout hæc illam imitatur. Eiusdem vero intermißione vniuersum dissoluitur & interit. Atque lumen eiusmodi quamuis vehemens sit, arduum & exæstuãs, nequaquam tamen imitatione par est vnioni atque verbo opificis à quo sua virtute infinito, emanauit. Ideóque quod ab hoc in vniuersum influit, idem optimum atque perpetuum: nec vnquam deficiens, aut aliunde pendens, sed in omnibus entis primi appetitionem ingenerãs.

SCHOLIA.

1 Ea quidem quæ de Deo, mundi opifice, dicuntur hoc loco, contraria sunt iis quæ de mundi æternitate ab Arist. physicè disputantur lib. 8. physic. & lib. 1. de Cœlo: sed valde consentiunt cum Platonica doctrina & cum religione nostra. Neque vero ex eo satis firmum argumentum petetur ad probandum libros hos non esse Aristotelis: quòd ista cum physica doctrina eiusdem omni ex parte non consentiant. Quoniam aliud est in philosophando naturæ genium sequi, aliud supra naturæ leges ea quæ diuina sunt exquirere. Et certe huius operis inscriptio satis arguit philosophandi rationem omnino aliam ab ea quam Aristoteles in vniuersa physiologia est sequutus.

2 Primus opifex influit in sensilem mundum primum per materiatas formas, quarum ipse dator est: deinde per virtutem sui numinis in omnia diffusi, quo ea quæ procreata sunt, conseruat & conseruãdo quotidie quasi de integro procreat.

In vtroque verò quanquam ipse in se vnus sit, tamen quia est infinitus, in rebus effectis varie relucet: prout hæ gradibus substantiæ & perfectionis sunt à seinuicem distinctæ. Cum illo re coniunctum est ipsum verbum, siue summa primáque ratio, per quam Deus opifex omnia procreat & conseruat. Huic proxime subiectus intellectus primus, quem, vt antea obseruauimus, Platonici ab ipso verbo distinguunt, cum in horum explicatione volunt videri accuratiores. Sub intellectu primo, anima mundi: sub iis verò omnibus propriæ rerum singularum naturæ: quæ à causa prima, sua virtute infinita, in infinitam varietatem abeunt.

Prius tempore, ab eo distinguitur quod natura prius dicitur: atque inquiritur inter æterna tempus quoduis superantia, quæ ratio sit prioris & posterioris. Vnde nascitur occasio explicādi rursum eum ordinem quo constant quæ in vniuersitate, gradibus substantiæ sunt distincta. Cap. 2.

Deus, ens omnium primum est, sed eo prioris modo, qui ex procreatione spectatur. Nam cum inter substantias aliæ aliis priores esse dicantur (vt simplex composita, intellectus agens, animo) non tempore, sed essentia atque natura priores sunt: quo etiam modo se habet genus ad suam speciem.
1 *Esse autem aliquid hoc modo prius, non autem tempore, ex eo intelligitur quòd cum hæc tempus superent, causámque huius in se habeant, non poßint aliis priora tempore iudicari. Quare etiam effectum est, vnum non posse dici altero prius tempore, nisi horum vtrúmque tempore contineatur, eorúmque vnum priore tempore extiterit, altero nondum existente. Itaque inter essentias omnino primaria est ipsa mens, quæ idcirco princeps dicitur: quanquam eadem cum Dei verbo atque cum eo quod primæ formæ est subiectum: eadémque, vt genus summum, omnes substantias illustres, absolutásque & puras sub se continet. Hanc sequitur intellectus qui cum ipsa mente comparatus, secundus est & illius quasi species suúmque subiectum perficit, cui vt forma quædam propria efficitur. Huic vero lumen inest ab intellectus*

radice profectum, non aliter quam crystallo radius à sole reflexus. Ab intellectu adhuc profluit essentia animi ratiocinantis: cuius lumen tenuius est & matutino crepusculo persimile. Quare in hunc obliuio cadit & ignorantia: propter quæ doctrina excolendus est, memoriáque conseruatrice indiget & ratiocinatione, ad essentiam suam confirmandam atque dirigendam. Amplius, ex lumine animi ratiocinantis manat natura animi sentientis: in quo minus lumen est quam in superiore, atque idcirco sine ratiocinandi vi huic inest tantum facultas imaginum & ea quæ æstimatrix appellatur. Ex huius vero lumine, profluit natura animi in plantas cadentis: quæ quoniam à luce pura perfectáque longo interuallo seiuncta, crassior est relicta priuatáque vi progrediendi atque respirandi, solam procreandorum similium facultatem retinet 2 Ex qua etiam exoritur ipsa natura, quæ quia adhuc longiore interuallo à primaria luce separatur, incorporea tenuitate priuata, corpoream crassitudinem suscipit, atque trinæ dimensionis quantitatem longitudinis scilicet latitudinis & altitudinis. Certóque motu cietur qui in orbem simplex est & perpetuus, qualis in cæleste corpus cadit. Atque hic eiusmodi à primo opifice institutus est ad perpetuitatẽ ortus rerum & interitus. 3 Mouetur autem motu æquabili eóque qui alteri minimè est contrarius. Ac cum cælum in se complectatur omnia natura constantia quæ oriri possunt, eadémque conseruet pro conditione formarum quæ singulis rebus compositis insunt, si eius motus peruerteretur, illa omnia deficere esset necesse. Porro ab hac cæli natura quæ ad motum in orbem comparata est, inferior altera emanat multiformis variorúmque motuum particeps:

particeps: quorum contrarietas, ortus atque interitus est causa.

SCHOLIA.

1 Notior quidem vulgaribus modus prioris qui ex tempore spectatur, quoniam illis, rerum inter se comparandarum notissima est regula, in tempore: quod ab Arist. obseruatum, in explicandis modis prioris, post Categorias. Sed philosophis in vsu frequentior & magis accommodatus, modus qui consistit in solius naturæ comparatione. Secundum quem de multis quæ tempore simul sunt, vnum tamen altero prius esse dicitur, vt species sua proprietate, causa continens suo effectu & Sol suo radio.

2 Nudam simplicémque naturam, vocat formam rerum omnium inanimatarũ: quæ nihil habet suum præter id quod proprium corpori. Hoc verò est quod positum in distinctione trium dimensionum quibus ratio corporis perficitur, sicut Aristoteles docet cap.1.lib.1.de Cælo. Quare nuda simpléxque natura, quæ nihil prorsus habet animi, suo corpori omnino addicta est totáq; est materiata. In cæteris vero formis aliquid est materia superius: de quo postea in plantis & belluis quæretur, an sit à suo corpore separabile: & quo post ipsius plantæ vel belluæ dissolutionem, referatur.

3 Aristoteles capitibus duobus postremis lib.2.de ortu, docet perpetuitate conuersionis orbis primi, æternitatem mundi cõtineri: & vicissitudinis in ortu atq; interitu rerum harum inferiorum, causam esse positam in motu orbium inferiorum, maxime verò in solis reditu ad nos, in eiusdémque declinatione. Idem libro 1.de Cœlo, variis argumentis confirmat in motu cælesti nihil esse omnino contrarietatis: vt quinti corporis simplicis, naturam omnino impatibilem tueatur: quæ patiendo esset obnoxia, si alicui contrarietati esset subiecta.

Connexio vtriusque mundi explicatur & in connexione quid à superioribus in inferiora influat: quoque modo hæc, illorum vi regantur. Cap. 3.

Mundi superioris & intelligibilis, natura ordinem imponit corporeo, qui perpetuo motu circunfertur: huiusque orbes per virtutem abditam, à dei verbo influentem, vicißitudinem seruant in commutatione horum inferiorum, quibus consecutione quadam ortum & interitũ afferunt. 1 *Iisdémque motibus perpetua vicißitudine sibi succedẽtibus, ea quæ orta sunt, inficiuntur coloribus qui ad spiritus pertinent, secundum cuiusque speciem & rerum singularum proprietatem: vt consistant suo tempore, eáque quæ consimilis naturæ sunt, vniantur. Cælestis autem natura, ea corpora quæ in in-*

ſeriore mũdo compoſita, elementáque & quæ oriri poſſunt, quæque in ſenſum cadere, mouet à concauitate ad centrum, per eſſentias ſuperiores perpetuáſque, pẽdentes ab intellectu primario: ad quas etiam accedit virtus quædam à deo per verbum his inſita. Sunt autem hæ ſubſtantiæ ſummæ conſtã-téſque: quoniam earum cauſa firma eſt, vtpote inter quã & dei verbum, nulla alia intercedit. Ex quo etiam efficitur, vt illæ ſint incommutabiles: alioqui non eſſent ſui ſimiles, nec rectæ. Nam cum intellectus ſua eſſentia perfectus ſit, huius quoque opus perfectum eſſe oportet. 2 *Quia hic dei verbo proximus, aſsiduam ac infinitam vim ab illo influentẽ ſuſcipit: nec indiget alio actionem adiuuante. Virtus autem ad excitandum dei amorem, in inferiores cauſas influens, finita eſt: ne illæ, hanc recipiendo perturbentur. Inter quas quamuis ſubſtantiæ corporeæ, quæque oriuntur, in illa virtute excipienda, ab aliis valde deficiant, tamen intellectus etiam infimas cauſas adiuuat. Sicut in aquis deprehendi poteſt, ex quibus accommodato tempore certum quoddam animal potius quàm aliud quodlibet gignitur.*

SCHOLIA.

1 Sic in latino exemplari quod ſecuti ſumus, illiniuntur coloribus ſpiritalibus. Suſpicor vero legendum caloribus. Vt hoc referatur ad diuinum calorem quem per omnia fuſum eſſe Cicero docet lib. 2. de natura deorum, quemque in ſemine Ariſtoteles notat cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu. Quos enim ſpiritales colores nominet ne coniicere quidem poſſum, ſed nihil volui temere immutare. Quanquam illiniri colore aptius per tranſlationem dici videatur quàm calore.

2 Dictum eſt cap. 1. lib. huius, virtutem in deo deique verbo, eſſe infinitam: in intellectu vero finitam: quod cum loco hoc videtur parum cõſentire. Niſi forte hæc vt à deo influit, infinita eſſe dicatur: quæ vt in intellectu excipitur, in huius finita natura, definiatur: aut ea quidẽ ſuapte natura definita, nobis vero infinita. Sic enim abſurdum non eſt vnum & idem, hac ratione diuerſa, finitum & infinitum appellari.

Animum in quo eſt rationis principium, cum deo comparat & cum inferioribus formis belluarum, plantarum & metallorum. Cap. 4.

Natura quæ plantis in eſt, itémque belluis, & iis quæ eruũtur è terra, effectus eſt animi eius in quo rationis eſt principium: aliter tamen quam hic, ipſius intellectus agentis. Intellectus enim animum eiuſmodi verè non efficit. 1 *Quoniã omne quod verè efficit, idem quoque procreat elementũ rei, ſubſtantiam ſcilicet formæ ſubiectam, & formam conſeruatricem elementi. Intellectus autem neque animi elementũ, neque eius formam efficit.* 2 *Quare neque ipſius animum verè dicetur efficere: etiam ſi medium quiddam ſit inter cauſam huius efficientem primam: rationémque habeat efficiẽtis vltimi, quod idem eſt proximum. Primum enim agens, deus eſt, qui verè efficit. Si quidem eſſentiam procreat, cum ipſe ſit vera eſſentia. Nec fieri vllo modo poteſt vt ſine hoc, ab alio quicquam procreetur.*

SCHOLIA.

1 Hic peripateticè, eſſentiæ rei duo principia ponuntur, materia & forma. Sed hoc minus peripateticum videri poteſt, quod hæc duo principia, quæ ſunt corporum naturalium, etiam ei animo attribuuntur in quo rationis eſt principium. At hæc duo ſecundum analogiam omnium eorum quæ ſunt, principia eſſe dicũtur lib. 12. Metaphyſ. & in animo humano, intellectus patibilis vel poſſibilis, materię, agens vero formæ rationem habere dicitur lib. 3. de Animo.

2 Deus omnium opifex, poteſtátem rerum cæterarum procreandarum minoribus diis dediſſe dicitur à Platone in Timęo. At partis animi ratiocinantis procreationem, idem ſibi ſeruaſſe: ne hæc cum cæteris rebus mortalis eſſet futura, ſi ex cauſis ſecundis originem acciperet: aut res cæteræ cum eadem commune haberent immortalitatis beneficiũ, ſi à deo ſine vlla intermedia cauſa dependerẽt.

Animi humani, etiam in vita hac, triplicem conditionem diſtinguit: atque eandem diſtinctionem ſentienti & alenti accommodat. Cap. 5.

Cum omne lumen ex ſe alterum eſfundat, primum quidem poſtremo eſt perfectius, mediū vero vtriuſque extremi particeps. Porro cōuenit etiā lumini quod infuſum eſt inſitúmque ſecundo intellectui, tribus gradibus diſtingui, quorum ſummus ipſi verbo eſt proximus, appellatúrque verè lumen abſolutum, & mundus omnino lucidus: gradus alter eſt infimus: tertius, inter illos duos medius. 1 *Quare cum inter animos quidam primi gradus lumine perfundatur, huius ſpiritus ad illius perfectionem accedit, ſimiliſque efficitur ſpiritibus dæmonum: atque meditādo veritatem attingit, in primi opificis diuinitate contemplans. Quoniam actio ab hoc intellectu cum ratione vera probáque coniuncta, proficiſcitur ex vnione cum intellectu puro & abſoluto, qui proximus eſt perfectiſſimo verbo eius opificis, qui perfectione ipſa atque puritate omniū ſummus eſt. Opus vero quod ipſi perfectioni eſt proximum, neceſſe eſt eſſe perfectum. Verbum autem eiuſmodi in ſe continet intellectum primarium & nobilem: quanquam cum eodem, rationis quæ nomini reſpondeat, communionem nullam habet.* 2 *Animis vero in infimo gradu cōſtitutis & ab intellectu primario ſeparatis, inſunt ignorantia, error, obliuio, incertitudo, deprauatio atque corruptio. Medij ſunt quodammodo vtriuſque extremi participes, ſed eius magis, ad quod magis declinant. Sic quoque ſe habet animus ſentiens itémque alens & qui his ineſt quæ eruuntur è terra. Quoniam harum partium animi vnaquæque, pro illorum graduum varietate tripliciter eſt diſtincta.*

SCHOLIA.

1 Hoc lumen eſt quo apud Platonicos illuſtrari dicitur intellectus philoſophi, qui ipſa morte, omnino corpore ſolutus, dei contemplatione liberrima fruitur,

vel qui in vita hac summo philosophię munere mortem meditatus,extra corpus rapitur, eóque idem similis dicitur effici spiritibus dęmonum & veritatis perfectam cognitionem attingere,in primi opificis diuinitate contemplando. Talis vero est is qui in lib.de Immortalitate animi,quem latinum fecimus, dicitur cũ angelico coniungi & ad hunc eandem rationem habere, quàm angelicus ad primam mentem.

2 Hæc conditio est animorum nostrorum adhuc in multis cum corporibus suis communicantium. Qui disciplina & philosophia morali indigét,per quam partem inferiorem suis perturbationibus exultantem,ducant in rationis gyrum. In quo posita est animorum purgatio.Vnde iidem Platonici, virtutes morales, purgantes appellant.Nec vero,nisi iis antegressis,volunt esse locum liberæ contemplationi,quam dicunt animi esse purgati & summum lumen suum adepti.Obseruabit studiosus lector, in distinctione contextus plerá que hic à nobis esse immutata:quod ad eliciendam aliquam sententiam videbatur necessarium: sicut in aliis plerisque locis toto hoc opere fecimus.

In simplicibus & compositis substantiis, dignitatis gradus distinguuntur,ex relatione ad deum : ex quo omnia per Verbum & intellectum profluunt. Cap. 6.

1 *Cum simplicitas vel compositio quibusdam substantiis maior insit, aliis vero minor, prout magis minúsue à Verbo diuino distant, efficitur inter ea quæ sunt, prius esse quod ad spirituum absolutam simplicitatem verius accedit: vt pote quod illi propinquius est. Quod autem ab eodem longiòre interuallo seiunctum, idem minus esse simplex & ad naturam corpoream propius accedere. Sic lumen in omnia influit, pro cuiusque capacitate & eorum graduum qui antea distincti sunt, varietate. Quare quod capacius est, idem quoque propinquius: adeo vt quod primũ excipit, sit etiam proximum, propter dignitatem essentiæ, idémque medium inter deum & cætera quæ procreata sunt. Quod etiam recipit vitæ vim ab illo influentem, receptámque rebus aliis subiectis communicat: ideoq; ipsum perfectius est, quoniam & prius existit, & primam Dei imitationem continet, in qua eiusdem gradus apparet. Eadem ratione intellectus in animum aptè influit: quoniam hic eius imago est: quemad-*

modum & ipsum Verbum expressum. Operatio quoque cōmunis animi in alia profluit, ab intellectu communi adiuta: qui ad animum se habet 2 sicut ignis ad calorem eum cuius ipse est principium, & ad alterum qui in alio susceptus. Animum enim intellectus procreat, ita tamen vt ab hoc nihil facultatis extrinsecus effundatur.

SCHOLIA.

1 Dignitatis & præstantiæ distinctio inter omnes substantias, spectari debet ex comparatione cum duobus extremis earundem principiis: nempe cum actu omnium primo & purissimo, qui est ipsius Dei, & cum potestate prima & imperfectissima, quæ est materiæ primæ. Itaque de mediis naturis quæ magis demersæ sunt ad materiam (quæcumque scilicet cum eadem in agendo arctiore vinculo & magis apparente, communicant) hæ sunt impuriores. Quæ vero aut materia omnino carent, aut etiam si hanc aliquam habent, minus tamen cum ea in agendo communicant, hæ illis sunt perfectiores. Ex qua regula posita, facile est iudicare de gradibus omnium substantiarum intelligibilium & sensilium, quæ antea sunt distinctæ.

2 Locus hic in exemplari quod secuti sumus dubitationem habet, quæ vitiosa contextus distinctione augetur: propter quam nonnihil nobis fuit immutandum de quo lector iudicabit. Videtur autem significare, sicut caloris duplex est ratio, vna in igne, altera in cęteris corporibus, in quæ ille ab igne influit: sic intellectus virtutem primū in ipso intellectu relucere, deinde in animo, quæ ille ex se procreat: aliter tamē quam ignis, calorem in cęteris corporibus: Quoniam hic manifeste extra se aliquid emittit, quod in aliis corporibus recipitur: intellectus autem primus, tantum intra se intelligendo, nihil facultatis suæ extra mittendo, animum procreat, modo prorsus inexplicabili.

Inquirit quo modo in inferiore mundo animus rationis particeps, se habeat ad eum in quo sentiendi principium: vt pote quem ex se procreat & à quo in hac vita haurit prima intelligendi ratiocinandiq; principia. Cap. 7.

1 *Animus muneris intelligendi particeps, cum est in hoc inferiore mundo, per cogitationem intelligit. Quoniam eius intellectus à primo deductus, impurior factus est & materiatus, id est cum potestate coniunctus. Atque intellectus perficit animum rationis participem, quem procreat: sicut pater filium. Perficit autem eiusmodi animus, animum sen-*

tientem: si quidem & hunc procreat, eodémque vicissim indiget. Quoniam animus rationis particeps, ad contemplationem principiorum, excitatur à sentiendi principio: sine quo neque ad illa dirigeretur, neque vlla rerum specie informaretur. Quare neque posset à primo intellectu agente vniuersa suscipere. 2 Vniri autem animum rationis participem cum sentiendi principio, ex eo apparet, quod alioqui nunquam assentiretur affectibus, neque deliciis naturalibus: neneque victoriam appeteret: neque ad institutionem disciplina indigeret: aut gloriam affectaret, aut concentu musico, corporisve pulchritudine caperetur. Neque vero in humanitatem esset procliuis, aut ad ea quæ superiora sunt, aspiraret: aut liberatus, tantam voluptatẽ caperet. Nihiloque magis corporis commoda persequeretur, vt sanitatem & indolentiam: sed ea sola expeteret quæ ad rationem pertinent. Si quidem illa omnia contingunt ex communione cum sentiẽdi principio. Quanquam ille idem purior, excitatus est supra qualitates naturales, quales sunt quæ in aspectum, gustatum, tactum & reliquos sensus cadunt. Cum quibus nisi coniungeretur, nequaquam in fame repletionem appeteret, nec in labore requiem, nec in morbo sanitatem, nec in concupiscentia coitum cæteráque eiusmodi. Amplius etiam animus rationis particeps, si à sentiente omnino esset separatus, spiritibus similis euaderet: qui de qualitatibus quæ modo enumeratæ sunt, nullam prorsus percipiunt. Atqui reipsa manifestum est qualitates eiusmodi ab homine sentiri atque discerni: cum contra animus rationis particeps illarum substãtiarum conditionem non verè cognoscat, neque delicias spirituum: 3 nisi per rationem exemplarem cogitationémque cũ

imaginatione coniunctam, qua se ipse dirigit.

SCHOLIA.

1 Per cogitationem, intelligit rationis discursum à præcognito ad incognitum qui ad διάνοιαν pertinet: quoque in nobis intelligendi munus vno gradu inferius est eo, per quod formæ à materia separatæ intelligunt. Atque ideo dicitur esse intellectus impurioris & materiati, id est, cum materiæ potestate communicantis. Quod vero sequitur, tale intelligendi munus ad contemplationem principiorum, indigere antecedente sentiendi munere, id repetendum est ex cap. 24. lib. 1. & ex cap. vltimo lib. 2. Analyt. post.

2 Ratio hæc confirmat animũ quo ratiocinamur, necessario esse coniunctũ in ea parte in qua focus est perturbationum omniũ ex sensibus haustarum: & tamen ab eadem naturę suę & cogitationis proprietate esse distinctum. Nam quod ipsa ratio his affectibus concutitur & percipit se concuti, id necessario arguit eius cum illis quandam communicationem. At quod eadem his affectibus resistit, & modum imponit, hoc probat eam ab illis saltem cogitationis proprietate esse distinctam. Quo argumento Plato vsus est 4. de Repub.

3 Animus noster in vita hac non cognoscit formas à materia separatas, nisi cum ad eas, extra se rapitur. Tum vero cognoscit, sicut antea dictum est, intuendo, non discurrendo: ad quod ratione exemplari opus est, id est luce ab exemplari & ideali ratione communicata, non de nobis excitata. Sed ad hanc excitamur & præparamur excitatione cogitationis in abstractionibus mathematicis. Quanquam hic dubito num vetus interpres, vt antea sæpe, exemplum & imaginẽ dixit pro exemplari, sic nunc contra, exemplarem rationem dicat pro rationis imagine materię communicata: qualis ea est quę homini propria. Quo modo huius loci sententia facilior est futura.

Intellectus in agentem & possibilem, distinctio explicatur, & quo modo agens se habeat ad possibilem, quem suo lumine illustrat, quæque sit vtriusque ratio ad intellectum qui nos informat. Cap. 8.

1 *Intellectus agens in animum rationis participem influit. Quoniam huius lumen est, quod in naturæ vniuersitatem effusum, alia quæ sunt, dirigit conseruátque omnia, quæ aut naturæ puritate ad eiusdem essentiam accedũt, aut propter impuritatem ab hac recedunt. Nam intellectus primus post mentem principem, 2 vna cum intellectu materiato (in quo nostra essentia consistit) in mundum influit. Atque illius agentis essentia superat naturam possibilis: 3 idémque agẽs hunc possibilem siue naturalem amat, sicut doctor discipulum, aut pater filium vnicum, aut mas fœminam. Quoniam*

inter ea

inter ea quæ sunt, aliud ab intellectu materiato nihil est, quod illius perfectam actionem posit suscipere. Itaque intellectus primus ad hunc iuuandum omnino propensus est: quem conseruat vt opus proprium atque superius reliquis substãtiis, quæ singulæ pro essentiæ suæ puritate atque impuritate, vim illius agentis influentem excipiunt, nequaquam tamen perfectam. Animus autem rationis particeps, qui intellectus est ab agẽte secundus, id est posibilis, 4 ex earum numero non est. Atque idcirco ille cum hoc prius vnitus, eundem seruat, regit, & illustrat.

SCHOLIA.

1 Cogor hoc loco iterum obseruare, si opus hoc Aristotelis esset constaret, facile ex eo posse explicari quæstiones infinitas quæ mouentur ab huius interpretibus lib.3. de Animo, de distinctione intellectus agentis & posibilis. Ac potissimum, quod disputari solet, an intellectus agens, substantia sua sit vnicus & externus, asistens tantum nobis suo lumine, non informans: vt eo modo se habere in nobis dicatur quo nauta, in naue. De quo multa collecta sunt libro de animi immortalitate, quem latinum fecimus, & Commentario in cap. 11. lib. 4. prioris nostræ descriptionis Physicæ.

2 Intellectum materiatum appellat eum qui in intelligendo nonnihil cum corpore communicat. Quia, vt modo dictum est, principium intelligendi, haurit ex sensibus & notiones rerum intelligibilium effingit ex visis. In quo ipsa imaginandi facultate subseruiente indiget: cuius functio corpori est addicta, etiam si ad interius quiddam pertineat. In eodem vero dicitur nostra essentia consistere, quia actus est informans, non asistens tantum: quod de intellectu agente modo dictum est.

3 Mutuus quidem amor est inter agẽtem intellectum & posibilẽ, qualis in natura inter formam & materiam: sed amoris ratio est diuersa. Agens enim posibilem amat vt hunc perficiat & perficiendo suam ipse perfectionem declaret. Posibilis autem agentẽ, vt ab hoc perficiatur & in intelligẽdi munere dirigatur. Atque quoniam posibilis, vt dictum est, cum corpore cõmunicat, nonnunquam propter eam impuritatem quam ex eodem corpore haurit, intellectum agentem odisse incipit vel certè eius lumen respuere. At intellectus agens posibilem ex sese odisse non potest: sed huius perfectionem semper expetit. Quæ omnia diuinitate plena sunt & cum religione nostra valde consentiunt.

4 Videtur ex hoc loco tollenda negatio, vt indicet intellectum nostrum esse ex numero substantiarum inferiorum quæ puritatis & impuritatis gradibus ab intellectu agente distinguuntur, huiusque vim influentem excipiunt. Et certè idipsum sequens conclusio confirmare videtur. Ex iis enim colligit ab intellectu agente vnito, posibilem seruari, regi & illustrari. Quo modo igitur diceretur non esse ex earum substantiarum numero quæ agentis vim influentem excipiũt?

Intellectus possibilis munus proprium in excitandis notionibus, explicatur. Ex quo eiusdem comparatio cum animo sentiente concluditur. Cap. 9.

1 *Intellectus ab agente secundus, qui possibilis est, non potest sua vi naturales formas repurgare & ad essentiã suam rationémque vniuersam reuocare, nisi ab animo sentiente excitetur.* 2 *Quam corporeis qualitatibus nobiliorem, si ille amicè complexus sit, cum imaginatione coniungitur & in eandem propensionem quãdam retinet. Quare etiam vicissim hominis animus sentiens, subiici vult materiato intellectui eóque indui. Quoniam sine virtute ab hoc influente, nihil habet constantiæ, nihil quod posteritati relinquatur. Sed ab eodem adiumentum capit ad confirmandam essentiæ suæ constantiam. Itaque in homine, inter intellectum possibilem & animum sentientem, mutuus amor existit, ab vtriúsque indigentia profectus.* 3 *Duóque hæc secundum substantiam vniuntur: ex quo homo perficitur & inter ea quæ sunt, suo gradu constituitur. Eandem vero comparationem inter se seruant intellectus agens & animus rationis particeps, sese amore mutuo complectentes, prout coniunguntur ac fere in vnam substantiam abeunt.*

SCHOLIA.

1 Repurgare naturales formas, est harum rationem à materia huiusque qualitatibus sensilibus cogitatione, quo ad fieri potest, separare & ad notionem vniuersam reuocare. Ad quam rem perficiendam ducendum est initium ab obseruatione per sensum, rerum naturalium singularum, & affectionum quæ in eas cadunt. In illa vero repurgatione posita est prima futuri philosophi exercitatio: secunda in mathematicis abstractionibus. Summa autem eiusdem perfectio, quæ ex illis velut præexercitamentis exurgit, sita est in primis intelligibilibus contemplandis & intuendis, quæ re & ratione à sensilibus omnibus sunt separata. Ad quam non solum animo ratiocinante opus est, qui in omnes homines cadit, sed mens adhibenda: cuius vt Plato scribit in Timæo, dij quidem omnes participes sunt, homines autem pauci. Ideóque non omnes homines ad hoc summum &

postremum philosophiæ munus sunt nati.

2 Nobilitas animi sentiẽtis in eo apparet quod non res ipsas corporeas in se recipit, imo(si accuratè volumus, iudicare) neque reuera sensiles qualitates: sed harum tantum imagines, diuino quodam modo de corporibus excitatas & ad interiorem sensum delatas, per medias corporis vias, in quibus omnem incorpoream impuritatem quodammodo deponunt. In quo expressum est signum diuinitatis maioris, quàm in altera animi parte quæ cum plantis est communis. Cuius obseruatione nonnulli Platonici dubitauerunt, an animus sentiens, sit etiam immortalitatis particeps. De quo postea hoc opere quæretur & à nobis abunde disputatum est Commentario in Alcinoi institutionem ad doctrinam Platonis.

3 Qualis amor est in physicis inter formam naturalem & materiam. Illam enim hæc appetit vt perficiatur: & illa hanc, vt ab ea accipiat suarum actionum instrumenta. Quoniam sine iis non potest agere: nec vero esse, sine aliqua actione. Quod autem subiicitur de eiusmodi amore mutuo ab indigentia profecto, locus est Platonis in Symposio: quem Cicero in Lælio leuibus rationibus exagitat.

Formarum in corpus cadentium generalis diuisio earumdémq; ordo explicatur. Vt intelligatur quid ex animi partibus cum corpore dissolubile sit, quid ab eodem separabile: quídq; in huius actionibus rectum sit, quid deprauatum. Cap. 10.

1 *Antea probatum est formam corporis duplicẽ esse, vnam quidem cohærẽtem per se, alteram corpori inhærentem: qualis est quæ artè inducitur & alens aliáque qualibet aduentitia, vt candor & nigror. Hæc enim non cohæret per se, sed materiæ inhæret. Atque huius generis species quædam reipsa permanet in formis omnibus intelligibilibus: quales radij luminis qui corpori illustrato inhærentes, in animo agentis permanent.* 2 *Quæ cum ita sint, animus sentiens si belluæ insit, in ipso corpore viuente permanet: si vero homini, prius quidem in viuente corpore consistit, deinde etiam in agente. Quare cum ipsa morte corpus fuerit dissolutum, dissoluetur etiam animi pars qua alimur itémque qua sentimus. Intellectus autem poßibilis, qui illi adfuit, permanebit ab agente conseruatus. Deinde etiam consistet intellectus agens à Deo seruatus, cuius verbo est proximus. Itaque intellectus agens poßibilẽ amat atque regit: hic vero animum*

ſentientem, vt pater filium, doctor diſcipulum. Ad quam rem vtérque indiget virtute influente à luce vitáque æterna atque ſuprema. Porro intellectus agens perficit animum in quo rationis eſt principium: quoniam & hunc peperit: ſicut & hic ſentientem, quia eundem abſoluit. Viciſsímque animus ratiocinans à ſentiente excitatur ad cognitionem rerum ſenſilium & ad intelligibiliũ ſapiẽtiam, prout excipit vim influentem ab intellectu agente atque primario. 3 *Quare cum animus ad eſſentiam ſuam reuerſus, intellectũ agentem perſpexit, ſuis actionibus cum illo conſentit, nequaquam tamen in omnibus. Quoniam humanæ actiones non niſi quæ propriæ ſunt & rectæ, agenti intellectui aſcribuntur: reliquæ ignobiles ac peruerſæ, ad animum ſentientem, cui accidunt, referuntur, non autem ad eam partem in qua eſt intelligendi principium.*

SCHOLIA.

1 Formas corporis per ſe cohęrentes eas appellat quas Ariſt. libris de animo, dicit à ſuo corpore ſeparabiles. Tales vero ſunt, quarũ functiones nõ omnino corpori ſunt addictæ, nec eo organico neceſſario indigent. Eiuſmodi autẽ eſſe partẽ animi qua ratiocinamur & intelligimus, in Platonica doctrina indubitatum eſt & in Peripatetica pene iam perſuaſum: niſi quod in hac de intellectu agente & de poſsibili non eodem modo conſtituendum. De ſentiente autem apud Platonicos dubitatio exiſtit, quam author noſter hoc capite conatur explicare.

2 Locus hic magnam habet ſententiæ obſcuritatem, quam interpres vetus peperiſſe videtur, vel certè adauxiſſe. Fortaſſe vero author ſignificare voluit vt radij ſolis per omnia effuſi, pereuntibus iis quibus excipiuntur, non omnino pereunt, neque ſeparati permanẽt, ſed in ſuo principio, id. eſt in ipſo ſole à quo emanarũt, recolliguntur & vniuntur: ſic formas naturales, quæ neceſſario cum ſua materia communicant, diſſoluta re naturali, neque à materia ſua ſeparatas manere, neque omnino perire, ſed iterum vniri cum eo principio a quo emanarunt. Emanarunt autem vel à primo intellectu rerum omnium ideales formas continente: vel ab anima mundi, vniuerſæ naturæ principio. Quod ſi placet hoc loco ſequi, in contextu nonnihil erit immutandum. De quo lectori liberum iudicium reliquimus.

3 In veterum philoſophia hæc diligenter obſeruanda ſunt, ad intelligẽdum voluntatem noſtram ad bonum & malum liberam eſſe: malúmque ab huius ſolo errore, non ab intellectu primo aut à deo eam dirigente proficiſci. Sic enim Plato ſcribit malorum quamlibet aliam à deo, cauſam eſſe quærendam. Et quoniam a-

pud eundem voluntas non quęuis humana appetitio, dicitur, sed tantum cum recta ratione consentiens, nulla vero peccata cum recta ratione possunt consentire, sed omnia exoriuntur de parte animi inferiore contra ratione͂ exultante, hácque de gradu dignitatis suæ deiiciente, idcirco omnia illa inuoluntaria esse dicuntur, Aristotele repugnante lib. 6. Ethic. eamque sententiam in Socrate exagitāte.

Explicatur intellectus agentis & ipsius verbi cum deo atque cum ea animi parte qua ratiocinamur, comparatio. Cap. 11.

Intellectus agens animum rationis participem eo ipso nobilitat quod huius origo est, nec ab eodem vnquam separatur: vt pote cum quo sine vllo medio interiecto, cohæret, que͂admodum etiam ille cum verbo diuino. Inter quod & intellectum si medium aliquod intercederet, eo ipso à verbo deficeret, nec satis esset perfectum ad omnes scientias sua essentia comprehendendas. Nam si medium vnum intercederet, eode͂ iure plura quoque contingeret intercedere. Quo posito, intellectus dignitas luménque imminueretur & in eode͂ substantiæ craßitudo augeretur. 1 *Atqui cum ille inter ea quæ procreata sunt, obtineat principatum, hoc in iis est quæ fieri nullo modo possunt. Porro diuina essentia à verbo concepto nu͂quam separatur, sed est ipsum ens: quoniam omnem scientia͂ continet. Animus autem rationis particeps, quodam modo est intellectus agens: cum illóque conuenit, sicut cum eo à quo accepit originem. Neque verò ab eodem separatur: quoniam illi proximus eiusdémque comes est, cuius formam respicit vt inter ipsos intellectus suo gradu illi subiectus. Hic autem materiatus intellectus, magno honore dignus, quia simplex est & spirituum naturam retinet. Quanquam eodem simplicior est intellectus agens, à prima mente secundus, eúmque continet, in quo miras actiones edit, ab ipsa mente adiutus,*

ſiue ab intellectu principe. Qui ab intellectu poßibili promptißimè intelligitur, dum ille intuetur mundum in ſenſum cadentem ac præſertim huius gradum præſtantißimum, motúmque perpetuum ac ſimplicem, ſiue occultum, ſiue manifeſtum, ab ipſo intellectu primario emanantem. Etenim homo contemplans ea quæ in mundo ſunt inferiore, vt aërem, plātas, animalia cæteráque eiuſmodi, cùm ad ſuperiorem aſcenderit in eóque inſpexerit ſpiritus intelligentiæ participes, æternos, vitáque optima & pura fruentes ac ſuo gradu omnes continentes, ferventes ardentéſque vi luminis quod à primaria luce recipiunt, in eiſdem vero maximè intellectum reliquis nobiliorem & ſuperiorem, regentem omnia vi ſapiētiæ ſuæ & virtutis ab opifice vtriuſque mundi profectæ, hæc, inquam, intellectus poßibilis contemplans, ſimul etiam cauſam horum omnium principem, mentem ipſam attingit.

SCHOLIA.

1 Sicut Ariſt. initio lib. 1. Meteor. in vniuerſa regione cælesti Lunam, quo lōgius diſtat à ſupremo orbe & propius ad terram accedit, eo minus puram eſſe vult, etiam ſi reuera apud eundem in cæleſte corpus nulla naturæ impuritas cadat: Sic quanquā propriè craſsitudo ſit tantum corporeæ ſubſtantiæ, nec vere cadere poſſit in intellectum qui omnino corporis expers, tamen quoniam quo is ab ipſo verbo longius diſtat, eo in ſuo munere tardior & hebetior efficitur (quia intelligēdi actum ab eodem recipit) idcirco pro mediorum multiplicatione huius lumē imminuitur, & contrahitur naturæ maior quædam imperfectio, quę craſſitudinis nomine hoc loco ſignificatur.

2 Admirabilis eſt & in veterum philoſophia penè incredibilis, ipſius verbi in cōceptum & expreſſum diſtinctio. Atque hic quidem de concepto: de expreſſo poſtea cap. 17. lib. huius. In concepto autem verbo interna eſt apud deum patrem, ab æterno rerum procreatio: in expreſſo, eadē externa & tempore diſtincta. Quo modo intelligendum eſt quod hoc loco dicitur, diuinam eſſentiam à verbo concepto nunquam ſeparari, eſſéque ipſum ens, quoniam omnem eſſentiam, id eſt, omnium rerum ideas in ſe cōtinet. Sic enim potius quam, ſcientiam, legendū eſſe videtur, quanquam repugnante eo exemplari quod ſecuti ſumus. Vt in verbo cōcepto ineſſe intelligatur idea idearum omnium, in qua eſt rerum omnium eſſentia. Nolui tamen quicquam immutare, vt lectori liberum iudiciū relinqueretur.

Variis rationibus confirmatur mundum sic esse perfectum, vt ei nihil noui possit accedere: quare nec vllas nouas rerum species in eo excitari. Cap. 12.

1 *Mundi vniuersitas omnia in se continet: nec huic adiici quicquam potest. Quia summam perfectionem est adepta. Quod autẽ est eiusmodi, id sibi adiici nihil omnino patitur. Etenim si quid huic adiiceretur id aut natura constaret, aut naturale non esset. Adiici autem quod natura constet, nihil potest. Si quidẽ ipsa natura, mundi est vniuersitas.* 2 *Quomodo autem continenti adiicietur quod iam eo ipso continetur? Itémque cum omnia quæ in natura posse esse dicuntur, in alicuius agentis actum cadant, nec in vniuerso quicquam agat sine primo opifice procreante agentem intellectum, fateamur necesse est, posse esse omnia quæ deus potest efficere. Quare quod ad naturæ vniuersitatem adiici posse dicetur, id aut in illa erit necessarium, aut vero minimè. Atqui si necessarium esse volumus eóque vniuersitas careat, hac ex parte in ea aliquid deficiet.* 3 *Cum tamen opus sapientis opificis, non posit esse imperfectum, Si vero quod adiici potest, non est necessarium, ídque iam adiiciatur, erit profecto superuacaneum. At neque in primi opificis actione quicquam redũdat, neque in facultate deficit. Rursus quod adiicietur, aut vniuersi pars erit, aut partium numero excludetur. Si vero pars est, extra vniuersum non est. Iam enim firmata est demonstratio extra vniuersum nihil esse, omniáque in illo cõtineri. At si hoc extra vniuersum esse dicatur, aut procreationis initium habet, aut sine eo est. Si procreatum est, iam vniuersi partem esse oportet: atque eadem ratione efficitur hoc extraneum non esse. Si verò procreationis initium non*

habet, eodem iure fatendum erit vniuersum sine procreationis initio potuisse existere. Quod si de diuisione primo loco posita quis eligat, id quod ad vniuersum adiici potest, naturale non esse, quo tandem modo id continget, præsertim cum esse non poßit quod naturale non est, contráque id omne quod esse potest, naturale habeatur? Atque etiam animaduertimus totum sine vllo agente esse non posse. Quoniam eo prius aliquid esse oportet, & si quicquam sine vllo agente procrearetur, id multo magis in ipso vniuerso contingeret.

4 *Iam verò effectū est nihil sine vllo agente procreari: quia nihil nisi ab alio potest esse procreatum. Ex quibus concludimus ad vniuersum nihil omnino adiici posse. Neque vero cogitatione fingi potest vllam substantiam existere quam intellectus primarius non contineat: & cum antea probatum sit opificem primum sapientem esse ac potentem, is certè nulla re in procreando poterit impediri. Si quidem cum sapiens sit, expers est inscitiæ: cum potens, laßitudinem non potest suscipere. Cúmque idem liberalis sit, neque inuidia, neque auaritia ab efficiendo reuocabitur. Nihil igitur omnino est quod eum impediat quo minus procreet quicquid boni procreari potest: dummodo placeat. Neque enim longitudine temporis perturbatur: neque ad id vlla alia affectio in eo desideratur.*

SCHOLIA.

1 Mundo hæc eadem Aristoteles attribuit lib. 1. de cælo, sicut & Plinius lib. 1. naturalis historiæ. Ex quibus ille concludit hunc vnicum esse oportere, nec plures posse existere. Quia tota vniuersaque materia in hoc absumpta est: &, vt aiunt platonici, quod omnia complexu suo continere debebat, id socium alterum habere non potuit.

2 Hæc natura communis est. Quæ nihil aliud significat quàm eorum quæ in vniuersitate contingunt, ratum quendam ordinem: de quo ab Aristotele dici solet

solet deum & naturam nihil frustra facere. Alia vero natura est singularum rerum, quæ hoc ordine oriuntur & constant: ab eodémque ponitur in materia & forma: quæ inde naturæ duæ & illius vniuersæ communisque, duo principia nominãtur in physicis. De qua naturę appellatione vide quæ a nobis obseruata sunt Commentario in cap. 5. prioris nostræ descriptionis physicæ.

3 Aristotelis est axiôma physicum, Deum & naturam nihil frustra facere: sicut & illud in Politicis, naturam nihil facere tale, qualem ærarij fabri gladium delphicum, ad duos vsus, propter inopiam. Sed in eo argumento quo hic vtitur, id habet dubitationem, quod in vnoquoque corpore quædam sunt commoditatis vel ornamenti quę inesse quidem non est necessarium: & tamen cum adiiciuntur, in eis nihil est superuacaneum.

4 Omne enim quod procreatur, ab aliquo actu procreari est necesse. At quod procreatur vel procreari potest, nondum actu est. Idem igitur se ipsum vt primum agens, procreare non potest: sed ab alio priore procreari est necesse: donec ventum sit ad primum opificem sua vi omnia procreantem, qui tamen nulla omnino ratione procreatus potest intelligi. Quemadmodum lib. 8. Physic. idem dicitur mouere omnia, cum ipse sit omnino immotus.

Explicatur verbi concepti cum deo opifice & rebus aliis omnibus comparatio. In qua admiranda est huius authoris diuinitas & cum religione nostra, in rebus valde abditis, summa consensio. Cap. 13.

Author primarius vniuersi, hoc ipsum procreauit nulla in parte recedens ab eo quod mentis sapientia præscribebat, vel à sua bonitate atque potestate: vt pote qui in essentia continet rerum singularum substantias easdémque perficit atque in has influit. Si quidem simplicitate sua infinitus est, neque vllius potestatis expers, etiã si finita virtute in animum influat. Nec enim quicquam hanc ab illo suscipiens per imitationem, ei substãtiæ par esse potest, si comparetur cum Verbo procreante, quod vnũ cum eadem efficit procreatúmque, iam absolutum est: atque illius præceptum, bonitatem voluntatémque continet. Ex quo omnia orta sunt, crassa, sensum mouentia & subtilia, quæcumque intellectu comprehendi possunt. Quæcũque enim cogitatione complectimur ab intellectu principe formata, eadem etiam sunt ab ipso Verbo procreata. Neque vero preceptum eiusmodi in-

tellectus principis, conceptum, terminatum est aut ad commutationem varietatémve subeũdam accommodatum, sed omnes essentias subiectas sua substantia conseruat: harúmque nonnullas per intermedium intellectum, quas tamen ipsum de se per imitationem expreßit. Neque enim Verbum eiusmodi, phãtasia aut cogitationis discursu vtitur. 2 Quoniam hæc in primarium opificem non cadunt. Quare neque in eius Verbum. Præsertim cum ea quæ vni tertio æqualia sunt, eadem quoque inter se sint æqualia: quemadmodum lineæ à centro ad ambitum circuli ductæ. Alioqui inæqualia essent, quæ reuera sunt æqualia. Itaque cum de rebus quædam sint compositæ, vt quæ affectæ qualitatibus sensum mouentibus, quales colores, soni, odores, sapores rerúmque tactilium differentiæ, & corpora quædam superiora vt cælestia, alia inferiora, vt terrena, verbi gratia, plantæ, belluæ, homines, in quibus totum quodlibet sua parte maius est mouetúrque: ac de motibus qui in hæc cadunt, quidam contrarium nihil habeat, vt cælestis corporis, in alio contrarietas insit, vt in eo qui ad elementa pertinet, quorum vnus alterum impedit, animus rationis particeps ad motum quidem comparatus est, sed ad eum qui spirituum proprius quique tinctus est coloribus ad eosdem spiritus pertinentibus: quos à superiore intellectu accipit eosdémque postea transmittit in reliqua inferiora, quæ de se expreßit cogitationéque comprehendit. 4 Essentia autẽ veri producti, abstracta est ab omnibus aliis, sicut ipse intellectus princeps testatur. Quoniam si in aliquo conueniret cum specie rei procreatæ expressæq;, cum eadem etiam opifex ipse ménsque prima conueniret, cum qua substantiæ communionem habet atque æqualitatẽ,

nec ab ea quicquam est aliud. Id autem fieri nullo modo potest. Quod si apertius velis intelligere, considera vtrum quicquam sit deo prius in quo mens tua possit consistere: aut altera quædam essentia adiungi, vel ascendere quæ cum illo substantiæ similitudinem habeat. Et quoniam talis nulla potest reperiri ab illóque separata sunt circunstantia omnia, illum nullo modo poteris cum altero comparare, nec eiusdem essentiam cum altera coniungere, quæ verè hanc ipsam referat. Omnes enim essentiæ ab intellectu diuino formatæ procreatæque, eodem sunt posteriores: ab iisque omnibus illæ abstractus est, à quo mens primaria extitit & ab eodem huic impositæ omnes eorũ quæ sunt, essentiæ, secundũ ratione͂ qua in se spectantur & à qua omnes differentes formæ oriuntur: sicut ea quæ sunt ab essentia, omnésque procreatæ res conformantur naturæq; terminantur, vt rerum species propagentur. Itaque quoniam omnis essentia cum altera comparata, ea aut superior est & prior, aut inferior atque posterior: itémque aut eam abstractione naturæ superat, aut concretione: nulláque essentia est primo opifice prior vel superior, nulla magis abstracta, efficitur profecto nullam omnino rem externam esse quæ illum æquare possit.[1] *Quoniam neque hæ infimæ, neque illæ superiores, attingunt eius mentem pro ea ratione secũdum quam huic dedit initium atque perfectionem.*

SCHOLIA.

1 Deus rerum omnium opifex, essentiæ suæ perfectione finitus est, virtute autem infinitus ideóque Parmenidis & Mellissi carminibus modo finitus, modo infinitus appellatur. Quod à Bessarione obseruatum est lib. 1. contra Trapezuntium. Virtus vero hæc in suo quidem fonte infinita est: sed ad conditionem vniuscuiúsque naturæ finitæ, in quam influit, definita. Idque author hoc loco significare voluit, cum dixit illum finita virtute in animum influere.

2 Ipsum Verbum primò intellectu superius antea esse voluit: nunc vero adiicit idem deo patri & rerum omnium primo opifici esse æquale. Quid amplius ad ea quæ sunt in religione nostra maximè abdita, desiderari potest, nisi forte vt hoc ipsum Verbum dei filium deumque nominet? Vix est profecto in Aristotele credibilis tanta diuinitas.

3 Hic in distinctione contextus multa sunt à nobis immutata, nec tamen adhuc facile integram sententiam elicere. Quoniam quædam diuisiones sunt inchoatæ, quæ non videntur esse perfectæ. An num rerum corporeatum quæ substantia & affectionibus compositæ sunt, differentias persequitur earundémque motus distinguit, quibus ex altera parte opponit animi substantiam simplicem huiusque motus, à motibus corporum separat? De motu autem naturali quo modo in cælo contrarietatis sit expers, in elementis eandem admittat, vide Arist. lib. 1. de cælo: & de motibus animi aliis à naturalibus, Platonem lib. 4. de Rep. Vt hæc motus distinctio valere possit ad conciliandas horum sententias verbis magis quàm re dissidentes, de animo an moueatur. De quo contra Platonem Aristoteles disputat lib. 1. de animo.

4 Suspicor hoc de Verbo producto esse legendum: vt ex altera parte Verbo concepto opponatur. De qua distinctione antea dictum est. Sed in cõtextu nihil volui immutare: vt suum cuique iudicium esset liberum. Quanquam nostram coniecturam valde videtur confirmare quod sequitur de specie rei procreatæ & expressæ.

Mundi superioris & intelligibilis dignitas explicatur: quoque modo ad huius cognitionem animos nostros debeamus præparare, aut ad eundem ascendere.

Cap. 14.

1 *Mundus diuinus omnium est perfectißimus: quoniam fæcundißimo numine regitur, quod in inferiorem mundum influit & in se continet omnes substantias æternas, nec vllũ vnquam finem habituras: nempe intelligentias animósque omnes. Atque idem immotus est, summa pulchritudine exornatus, suoque imperio res cæteras continens. Nec verò indiget alterius motu extrinsecus quicquam afferente: quoniam omnia in se complectitur. Nec ab alio pati potest: quia nullum agens est à quo aut perfici poßit, aut vllius rei adiectionem suscipere. Est etiam idem purißimus: quia nullam partem habet expertem intelligentiæ: quæque ex se non intelligat, ac sine vlla inuestigatione.* 2. *Si quidem illius principatus (quemadmodum & cæteræ dignitates) æternus est, vt*

pote quo rerum essentia continetur: non tempore circunscriptus, vt aduētitius: præsertim cum nihil æternum esse possit, quod quidem tempore definiatur. Tu verò mundum illum eiusdémque nobiles substãtias inuestigaturus, contemplationem dirige, hàncque secutus caue ne in primis gradibus subsistas. Sed perge, relicto sensu intellectum apprehendẽs. Quoniam sensus cognoscit tantum singula, vt equum hunc: intellectus autem vniuersa, vt equum absolutè, eadémque ratione quamlibet aliam speciem. Nec verò species tãtum, sed etiam genera vniuersáque eiusmodi, aut primò, aut ratiocinatione per sensum in vita hac intellectum excitante: qui deinde in orbe superiore apertè ista contempletur. Quoniam in illo essentiæ æternæ sunt, constantes, erroris nesciæ, sempérque præsentes & omnis mutationis expertes: eædémque intelligentes & intellectæ, nec dissidentes: amatæ item atque amantes. 3. Nec enim intellectus nisi amore præsente, intelligit. Si verò tria hæc adsunt, intellectus intelligens, essentia intellecta, & amor vt consequens, iisdem oportet motum & quietem adiicere. Motum quidem, quoniam intellectus cum motu intelligit, non eo in quo progressio quædam inest, aut prioris status euersio: sed qui perfectionem rei accommodationémque continet. Amor quoque intelligẽtem comitatur. Quia sine hoc intellectus quasi in solitudine atque silentio versetur, nihil comprehendit. Quandoquidem per amorem, rem intellectam necesse est intellectui accommodari.

SCHOLIA.

1 Diuinus mundus, is est quem antea sæpe intelligibilem appellauimus: in quo est secundum Platonicos, huius sensilis idea. Itaque rerum omnium ideas in se continet: sicut sensilis mundus, sensilia omnia. Ideoque omnes substantias æternas hoc loco dicitur continere. Quia ipsæ ideæ, rerum substantiæ sunt æternæ,

cælestes orbes qui ipsas intelligentias continent. Quia intellectus qui à diuino primus est, animo ratiocinanti inest: animúsque cum eodem secundum suam periodum coniungitur, ac coniunctus vnum efficit, amore gaudióque incomparabili. Sin ab intellectu separetur, in interitum incidit. Porro cum illo coniungitur, quia ab illo est: sicut ipse intellectus agens cum verbo diuino semper coniunctus, eiusdem quoque beneficio perpetuatur. Nec ipsum verbum, aliud ab intellectu (nisi per aliquod medium) informat: nec intellectus nisi à verbo conformatur. Intellectus vero agens verbo diuino est proximus. Quia nihil potest cogitatione fingi intellectu prius quod quidem ipsi verbo sit propinquius. Qui etiam propter imitationem primi opificis, nonnunquam verbum abstrahens nominatur. 2. Quoniam per hunc animus qualitates eas quæ sensum mouent, potest repurgare. Quod si inter primum opificem & intellectum agentem, media quædam substantia intercederet, hæc procul dubio intellectu ipso superior esset atque nobilior. Hoc autem ei repugnat quod antea est effectum. 3. Quare intellectus agens, primi opificis verbum procreatum appellatur. Quia opifex se ipse intuēs, informat verbum eiusmodi: nec ea quæ procreata sunt, contemplans, amplius quicquam innouat. Insunt etiam primi opificis substantiæ, rerum omniumprocreatarum essentiæ. Quia nihil præter huius essentiam intelligitur. Quod si verbum procreatum prius esset intellectu primario, eodem quoque perfectius existeret. Hoc vero quo tandē modo fieri posset, cū antea probatū, sit intellectū primariūeundē cū verbo primo, verbū aliud expressū procreauisse, solúmque hoc perfecisse? Dicitur enim verbū quoddā prius ordine idemque

perfectius & purius, quando cum altero inferiore comparatur. Qua etiam ratione continget, vt verbum vllum procreatum intellectu agente perfectius sit: cum eo posito, intellectus eiusmodi aliqua ex parte deficiens, opificem suum purè non possit contemplari? Hunc verò si forte ignoret, aliud nihil amplius poterit discere. Quoniam quicquid intelligitur, per intellectum principem intelligitur. Porro si Verbum procreatum, intellectu agente esset perfectius, hic non haberet rationē causæ necessariæ inter opificem primum & ea quæ procreata sunt. Quod fieri non potest. Est igitur intellectus agens perfectior atque prior procreatis rebus omnibus subiectis: ac ne cogitatione quidem fingi potest, procreatum quicquam quod illo sit perfectius. Potest certe cogitari inter intellectum agentem secundum (qui non alius est ab animo ratiocinante) & opificem Deum, medium quiddam, nempe ipse intellectus agens. Si quidem ab hoc intellectus secundus moueri potest, admittendo & recipiendo: atque idcirco medius hic est constitutus inter agentem intellectum primum & ignobilem naturam corpoream trina dimensione præditam. Idémque tres facultates in se complexus est, alendi scilicet, sentiendi atque intelligendi. Ac cum idem intellectus secūndus contemplatur, 4 Ens ipsum ac vnum (huius vero contemplandi facultas ipsius primi beneficio conceditur) tum ipse quoque vnus efficitur. Cum autem ad se reuersus (vt scilicet inter duos orbes medius est) se ipse intuetur, tum vnum sequitur: eundémque subsequitur mundus inferior, natura constans atque corporeus.

SCHOLIA.

1 In iis quæ intelligendi vi sunt prædita, duo extrema statuit, deum rerum omnium opificem & intellectum qui in homine possibilis appellatur. Deus enim actus

actus est omnia primo & per se intelligens cęterisque omnibus intelligendi facultatem præstans. Intellectus vero possibilis in homine, à se nihil habet præter facultatem ad intelligendum & ad recipiendas rerum intelligibilium formas. Actus autem intelligendi in eodem, à Deo deique Verbo, per medium intellectum communem qui agens nominatur. A quibus influentem vim quandiu intellectus possibilis in intelligendi munere, recipit & sequitur, tandiu veritatem assequitur. Cum autem ab illis deficit, in eadem hunc cæcutire & tota via errare est necesse.

2 De hac repurgatione, quæ in quadam abstractione consistit, dictum est antea cap. 9. libri huius. Cum vero in ea præparatio quædam fit ad summam philosophiæ perfectionem, quæ apud Platonicos consistit in separatione animi à corpore, hic significat intellectum nostrum qui in corpore possibilis tantum est, ea frui non posse nisi se vniat cum externo intellectu agente: huiusque lumine in inquirenda veritate, illustretur & dirigatur. Quaquidem sententia nihil potest dici diuinius.

3 Ex iis colligi potest quomodo nonnunquam intellectus primus, qui agens nominatur, pro ipso Verbo vsurpatur. Ex quo etiam idem aliquando à Platonicis Dei filius nominatur & inter deum mundique animam, solus medius ponitur. Quæ tres principes substantiæ ab eisdem dicuntur. De quibus vide Plotinum libro de tribus principalibus substantiis.

4 Ens ipsum & vnum Platonicis, Deus est, sicut ex Platonis Parmenide colligi potest. Nemo autem Deum intelligit nisi contemplando, summo & perfectissimo Philosophiæ munere, cum eodem vniatur. Nemo vero id consequitur nisi cui hoc Deus ipse concedit: id est cui se ipse aperit atque ostendit.

Apertius explicat quod obscurè dictum est capite superiore, de comparatione intellectus agentis cum ipso verbo: deinde ostendit quo modo intellectus agens & possibilis ad motum se habeant. cap. 16.

1 *Iam igitur effectum est inter merum opificem & naturam, media plura esse interiecta. De quibus primus est intellectus agens, secundus animus rationis particeps, tertius is in quo inest sentiendi principium. Atque intellectus primus, post diuinum, cum huius verbo coniungitur vnione inexplicabili, eidémque sic proximus, vt cum illo vnum efficiat. Non tamen hæc vnio talis est qualis intercedit inter primũ intellectum agentem & secundum, qui possibilis appellatur. Quoniam intellectus ab agente secundus, quanquam substantiæ originem ab intellectu primo accipiat, eodem tamen suæ dignitatis gradu longe inferior est. Præsertim cum intel-*

lectus secundus inter ea quæ moueri possunt, suo gradu primus sit, pendens ab intellectu primo. Cuius gradus in quiete spectatur, propter absolutam essentiam quæ externa perfectione non indiget, ad quam moueri posse dicatur. Quod autem immotum est, id quod moueri potest omnino continet, omnésque huius partes: atque continens prius est eo quod continetur dignitatéque superius, ac sibi ipsi sufficiens, suæ substantiæ simplicitate, præ alterius multiplicitate. Semper enim aliquid externum est quod moueat, animúsque propter indigentiam, ad ea quæ multiplicia sunt, moueri potest. Ac cum de iis quæ moueri possunt, quædā moueantur, alia quiescant, verbum quod est intellectus agens, neque mobile esse,
2. neque ad quietem comparatum dicitur, sed ab vtróque horum abstrahitur. Iam etiam probatum est inter ea quæ procreata sunt, primarium esse intellectum primum siue agentem, huic proximum intellectum secundum, qui dicitur animus rationis particeps, à Deo, vt antea dictum est, inter vtrunque mūdum constitutus. Si quis verò inquirat quis intellectus primi siue agentis, author sit, hoc quidem ad Deum referendum: qui illum ante omnia procreauit eidémque indidit omnia. Hic verò cum deo sit proximus, eiusdem verbū expressum appellabitur, nec, vt modo vt dictum est, in rei mobilis aut quiescentis gradu consistet. Quoniam motus & quies tantū in eas substantias cadūt quæ, illo sunt inferiores.

SCHOLIA.

1 Merum opificem, appellat eum qui non tantum primus est in efficiendo, & à quo cætera efficiendi vim accipiunt: sed qui solum efficit & procreat: nec aliunde procreandi vim accipit, nec in procreando vllo alio indiget. Imò qui solus procreat, nulla materia antecedente nullisque omnino causis organicis ad id indigens. Quod quidem vni Deo proprium est. in quo omnibus naturæ legibus est

superior.

2 Quietem & motum vsurpans vt contraria, vult ea circa idem subiectum versari. Vt id solum ad quietem aptum dicatur, quod potest moueri. Ex quo concludit intellectum agentem propriè non quiescere: quia neque propriè moueri potest. Est autem quies propriè dicta, quædam à motu remissio vel intermissio. Aliter quietis nomen nonnunquam accipitur pro essentiæ constantia & perpetuitate. Quomodo non solum intellectui agenti, sed & ipsi Deo summa quies verè attribuitur.

Reperit ipsius Verbi cum deo & intellectu agente comparationem, indéque deriuat primã originem ordinis admirabilis inter ea quæ sunt in vniuersitate. In quo est eorundem cõnexio & in conexione Sympathia, quæ adiunctam habet causæ cum effectu proportionem quandam. Ex quibus concludit Deum proprie nullius rei procreatæ causam esse. Quoniam ad hanc nullam proportionem habet. Cap. 17.

Verbum expressum, causa causarum omnium appellatur, de eoq́ talis fuit apud Babylonios opinio. Quia ab hoc ea quæ sunt, pocreantur, & ab eodẽ est intellectus secũdus: idq́ propter vnionẽ qua Verbum eiusmodi cũ primo opifice coniungitur, à quo ipsum cæteráque omnia quæ sunt, verè procreãtur. 1 Causa vero dicitur, quæ est efficax in expreßione alicuius similis effectus. Ex quo apparet si aliud nihil procreatum esset, Verbum eiusmodi rationẽ causæ non habiturum: sicut eadem ratione de inferioribus nihil est quod tam apte causa dici poßit. Quoniam sine eodem Verbo nihil cum simili expreßione procreatur. Atque quoniã nihil à se ipso existentiæ expreßionem recipit (cum enim iam existit, nequaquam in existentiæ suæ expreßionem incumbit) non est rationi consentaneum aliquid sui ipsius causam esse: nihilo magis quam quod prius est, se ipso etiam posterius esse: aut superans, hoc ipso quod est eiusmodi, esse quóque superatum. 2 Porro intellectus agens, qui est verbum eiusmodi, causa dicitur, quia abundat rerum seminibus insitis: quibus si care-

ret,non apte causæ appellationem retineret. Imo ne amplius quidem existere posset. Quia non contingit vt quod ab altero extremo pendet, id sine illo existat: alioqui & causa sine effectu & retro commeãdo, effectus sine causa existet. Quod si contingat,de his quæ sunt ordo omnis tolletur,eóque sublato perire erit necesse imperium quod virtus perfectior in res alias obtinet. Eadémque ratione agens patienti, & regens ei quod regitur erit æquale. Quæ tamen inæqualia esse experimur,tum ratione actionis paßionísque, tum quia medium in nonnullis vnum est, in aliis multiplex, in plerisque nullum: qualia sunt ea quæ abstracta, facultate perfecta sunt prædita. Ex quibus efficitur quod erat propositum,causam dici cum quadam relatione ad effectum. Si quis verò inquirat quo modo causa cum effectu coniungi poßit, cum hic ab illa differat substantia, etiamsi relatione inter se conueniant: dicemus inter hæc coniunctionem esse quæ communi quadam proportione continetur: sine qua vnum alterius causa esse non potest,vt pater aliquis,alterius filij.In quibus etsi vnum prius sit altero, tamen eorum quædam est coniunctio.Et quanquam filij ratio insit filio, patrísque patri: non tamen idcirco ex illis naturæ communio tollitur. Quod autem de his relationis partibus dictum est,idem quoque de reliquis est intelligendum. Sic enim inter elementa (quæ causæ sunt rerum mixtarum & earum quæ eruuntur è terra, plantarúnque & animalium) & res ipsas mixtas coniunctio quædam intercedit,itémque inter res singulas quæ ad diuersas species pertinent. Per eandémque communionem iis accidit vt earum vna ab altera affectionibus commutetur, omninóque immutetur, & vt singulæ in sua regione quie-

ſcant, aliæque ſupra alias efferantur, tum dignitate, tum ſitu. Vt in ipſis elementis aqua ſupra terram, aër ſupra aquam, & ignis ſupra aërem: quæ ſingula in ſuo loco quieſcunt. In animalibus, caput ſuperius pedibus, in plantis quoque rami radicibus. Ipſum etiam animal plantam ſuperat, plantáque ea quæ è terra eruuntur. Itáque inter hæc proportio communióque quædam eſt, ſine qua vnũ non poſſet alterius cauſa exiſtere. Sic cæleſtium orbium conuerſio facit vt elementa nouis qualitatibus afficiantur, omninóque commutentur & patiantur. Quorum eſt coniunctio multiplex, & in eo quædam conſenſio quod ſecundum locum mouentur, quodque quanta ſunt & terminata. De quibus ſi proportio tolleretur, elementa à celeſtibus orbibus non paterentur. Hoc verò falſum ex eo poteſt intelligi, quod ex elementis nihil oriatur niſi per impreſſam virtutem à celeſtibus orbibus horúmque motibus emanantem. In cæleſtibus enim corporibus formarum naturalium cauſa eſt, & in formis rerum compoſitarum quæ oriuntur: in quibus eiuſmodi communio exiſtit. Materia etiam & forma (3 in quorum vno motum, in altero quietem cogitatione complectimur) compoſitionis in cælo cauſæ ſunt, ac inter illa & ipſum cælum, magna coniunctio. Quoniam celum in orbem fertur, forma autem hunc motum excitat. Quanquam non in illo, ſicut neque hic, materia & forma in ſenſum cadunt. Communis etiam animus ad vtrúmque horum proportionem habet, quia vtriuſque cauſa eſt & firmior quàm is qui cum certo corpore eſt coniunctus. Si quidem illo dirigitur deſcriptione luminis ad ipſos ſpiritus pertinentis: hic corpori addictus eſt, & cum materia coniunctus. 4 Idem quóque communis animus, motus

cauſa eſt in orbibus, quietis autem in horum verticibus: ſicut is qui ſingulis proprius eſt, motum præſtat inſtrumentis, quietem facultatibus. Materia quoque & forma in naturam cadunt, hoc ipſo quod materia ſine forma non poteſt exiſtere, formáque ſubiectam materiam deſiderat. Amplius intellectus agens qui communis eſt, de quo iam dictum, communis animi cauſa exiſtit: atque idcirco cum eodem manifeſtam in eo communionem habet, quod qualia rerum ſemina agenti intellectui ſunt inſita, talia quoque animo inſunt, in quo rationis eſt principium. Nec animus agit quin eiuſdem eſſentia à formis intellectus agentis, aliquid ſuſcipiat. Eſt & alia communio intellectus huius & animi, quod quemadmodum in intellectu commune quiddam eſt & ſingulum, ſic etiam in animo. Eadem ratione intellectus vnum idémque eſt cum verbo, primi opificis poteſtate expreſſo: ſicut illius voluntas atque præceptum, idem quóque cum ſapientia & in eodem gradu eſſentiæ genitum. Intellectúſque agens à primo opifice procreatus eſt vi eiuſmodi præcepti & voluntatis ab illo minime differentis: non ex materia ſubiecta, neque vllo exemplari extrinſecus propoſito, ſicut reliqua quæ procreata ſunt. Ex quibus colligimus ſemper inter cauſam & effectum coniunctionem aliquam intercedere oportere: quia ſine hac vnum alterius cauſa eſſe non poteſt. Itaque quoniam Deus cum rebus procreatis nulla eiuſmodi proportione continetur, fieri non poteſt vt vllius rei propriè cauſa ſit. Eſt tamen author & effector earum rerum quarum eſt principium: neque eſt neceſſarium inter agens & id quod agitur communionem eiuſmodi interuenire. 5 Siquidem in agente propenſionis ad patiendum conditio ne-

cessaria non est: sed si qua contingit, illa in eo quod ab agente emanauit, apparet. Itémque causa effectui imprimit qualitatem aliquam sui similem sempérque inter causam & effectum commune quiddam deprehēditur: quemadmodum calor qui secundum naturam & essentiam igni inest, communis est cum aëre aqua & lapide, postquam hæc illius virtute incaluerunt. Atqui fieri non potest vt mundus sit à primo opifice, sicut calor ab igne. Calor enim est quasi ipsius ignis animus: ille autem nequaquam ad opificem suum hoc modo se habet. Sic quoque cum animus describitur atque exprimitur ab intellectu qui proximus est ipsi verbo, in quo est omnium procreatorum principium, descriptio seu qualitas animi tanquam effectus, proficiscitur à causa simili, quæ in intellectu agēte existit. Amplius si Deus esset causa, rerum procreatarum harum & illius consimilis esset scientia. Hoc verò ex eo falsum potest intelligi, quod ex superioribus iam apparet deum sine externo alio exemplari omnia procreasse, nihílque extare siue de rebus cælestibus, siue de iis quæ ad elementa pertinent, quod eius similitudinem referat. Deus igitur summus vt antea dictum est, nullius rei procreatæ causa est, sed ipsius causæ opifex: hæc verò illius opus. Quoniam nullam communionem habet cum ipsis rebus procreatis.

SCHOLIA.

1 Id significat quod dicere solemus, rationem causæ consistere in relatione quadam ad effectum, illiusque relationis energiam siue actum, in productione effectus spectari. Addit vero, inter causam eiusmodi & effectum, proportionem quādam intercedere oportere. Quæ quia nulla est finiti ad infinitum: Deus autem infinitus est, res singulæ procreatæ, finitæ: ex iis concludit Deum rerum procreatarum propriè causam dici non posse.

2 In intellectu agente insita rerum semina, vocat formas essentiæ quæ apud Platonicos ideis continentur. Ipse autem intellectus agens, prima est idea idearum omnium. Quare in eodem primo intellectu agēte hic duo genera causarum cō-

plectitur, nempe causam exemplarem & efficientem.

3 Vtrumque horum sub appellatione naturæ, definitur quidem ab Arist. lib. 2. Physic. principium motus & status in eo in quo est primo per se & non aduentitia quadam vi: sed non eodem modo se habet ad motum. Forma enim primo & per se motus naturales excitat, quos ipsum corpus suscipit potissimum ratione materiæ, quæ inde à nonnullis principium motus passiuũ potius, quàm effectiuum nominatur. Quãquam hæc ipsa coefficit & ad illũ, excitandũ fouendumque organicas partes & qualitates formæ suppeditat, sicut à nobis expositum est cõmentario in lib. 1. prioris nostræ descriptionis Physicæ.

4 Omne quod secundum locum mouetur, circa aliquid moueri quod rationem habeat quiescentis, Aristoteles docet. lib. de animalium motu. Itaque quanquam cũ totum cęlum in orbem mouetur, nihil in eo sit quod reuera non oporteat moueri, duo tamen poli terminantes axem vniuersi, rationem habeant quiescentiũ. Quoniam circa eiusmodi axem illud moueri intelligitur. Quod vero sequitur de motu instrumentorum & quiete facultatis, referendum est ad distinctionem mouentium Aristoteli in physiologia familiarem, quedam esse quæ mouendo necessario mouentur, alia quæ mouendo seruant naturam omninò immotam.

5 Scopus enim agentis est reddere sibi simile id in quod agit. Hoc autem consequitur imprimendo eidem eam qualitatem secundum quam fit actio. Quod quidem manifestum est in iis quæ agunt per aliquam materiæ qualitatem organicam: qualia sunt ea quæ cęlo sunt subiecta. Quoniam communicatione eiusmodi qualitatis organicæ manifesta similitudo continetur. In cęlo obscurius est. Quoniam hoc agit in hæc inferiora multas nouas qualitates eis imprimendo, quarũ nullam reuera in se habet. Quæ agentium diuersitas ab Arist. notata est lib. 1. de ortu.

De vnitate & dualitate hic ea dicuntur quæ naturam superant. Vt intelligatur quo modo hæc se habeant ad diuina & naturalia omnia. Cap. 18.

Verbum quod primo procreatum, ab opifice primario constitutum est vt causa omnium entium quæ ab eodem originem habent. 1 *Neque hoc est ipsum vnum: quoniam ab eo non manat rerum procreatarum essentia, vel existentia, sed hæc à superiore potestate. Nec tamen dualitatem subit paritatémve eam quæ ad numerum pertinet: sed vnum permanet veréque abstrahitur.* 2 *Quoniam Vnum non est ea vnitate in qua est numeri principium. Quanquam etiam numerus essentiæ quodammodo abstrahi potest: si quidem hæc vnitas inest quoque singulis corporeis substãtiis, iisque omnibus ac necessario. Quibus eam Verbum ipsum bifariam com-*

communicauit nonnullis quidem vnicam, sicut terræ, Aëri, Soli ac Lunæ similibúsque reliquis. Quorum quodlibet est vnicum & in plura quæ eadem specie contineantur, indiuiduum: vt verè dici poßit omnem terram esse vnicam, & in ceteris eodem modo. Aliis verò dedit multiplicem, hancque in duos gradus distinctam, quandam vt ignis, stellæ, singulorúmque naturalium, vt exempli causa eorum quæ eruuntur è terra, & animantium: alteram vt singulorum vno numero comprehensorum, in quo vnitas quædam prima dicitur, alia secunda, tertiáve, atque etiam quarta: quæ etsi numerata sint, tamen à naturalibus possunt abstrahi. Deinde progreßio fit ad spiritus qui procreatione rerum innouatrice ac viuida, in numerum accreuerunt, donec peruentum sit ad intellectum à verbo diuino ortum, qui vnus quidem est ea vnitate quæ rerum semina insita continet: multiplex autem efficitur pro varietate eorum à quibus abstractio fieri potest, & quorum est procreatio. At verus opifex rerúmque procreator, numeros omnes superat abstractúsque est à multitudine rerum procreatarum: nec multiplex efficitur pro varietate formarum insitarum, actiuarum vel exemplarium. Quare aliter vnus est, quàm ea quæ natura constant, aut spiritus: nec huius vnitas comprehenditur nisi per abstractionem negationémque ab vnitate expressa. Nam qui Deum vnum esse cogitat, quia duo non sit, neque tres, in magna primarij opificis ignoratione versatur. Siquidem ita sibi cogitatione fingit numerum expressum, vt numerandi initium ab eius vnitate ducat, à qua, vt dictum est, abstrahitur. Quæ differentia est vnitatis ad numerum pertinentis, & veræ, quæ summo rerum opifici proportione respondet. Si quis ve-

rò inquirat cur hoc modo intellectus vnus sit aliarúmque rerum procreatarum dominus, respondebimus authorem eius esse ens vnum & simplex, quod omnia, pro cuiúsque ratione, complectitur tam quæ composita sunt, quàm quæ compositionis expertia: innouátque rerum singularum essentiã, & omnium eorum quæ sunt multitudinem. Idémque efficit hunc intellectum agentem & omnia quæ illi insunt, rerúmque numerum. Non enim numerus ipse rerum principium in se continet, sicut nonnulli existimauerunt: sed vnum prius est duobus, in quibus numerus quidam inest: ipsum autem vnum numerus non est, sed numerum metitur. 3 Quæ cum ita sint, animus quóque rationis particeps, sicut antea dictũ, numerus est per imitationem atque similitudinem eius vnitatis quæ agenti intellectui conuenit. Quoniam substantiæ quæ supremæ sunt & principatum obtinent, corporeæ non sunt, neque possunt accrescere: sed ad spiritus pertinent: nec ita sunt terminatæ vt eas metiri poßis. Alioqui crassæ essent solidæque & sua extremitate conclusæ. Argumento verò est quod rationes in quibus sunt prima rerum semina, vt plantarum quæ sunt in humore, manifestæ non sunt, neque aspectabiles, sed occultæ aspectúmque fugientes. Quare multo magis ipsum verbũ, quod est intellectus agens, numerúsque qui rerum essentias continet. Neque verò hoc loco numerum intelligimus eum qui recenseri potest, manifestúsque est, sed qui naturalis, quique essentia in alia comprehensa: atque talis est qualis vnitas dualis superioris mundi, intellectui inest rationíque agenti absolutæ. Neque imitatur quidem vnitatem diuinam, sed numerus quidam exurgit in quo forma est rerum singularum, procreatarum ab eo intellectu qui ea quæ

sunt verè continet atque conseruat: quique prius conformatus est ab illo vno sub ratione inferioris essentiæ. Quæ dualitas est atque eadem essentia vnica.

SCHOLIA.

1 Mira sunt & cum hoc loco sedulo cōferenda quæ de vno & dualitate infinita dicuntur à Pythagoreis, de quibus vide Arist. in Metaphysicis & Cornelium Agrippam cap.4. & 5. lib. 2. de occulta Philosophia. Hic verò appellat ipsum vnum deum patrem, à quo distinctus est intellectus agens, in quo antea positum est verbum quod expressum nominatur. Eodémque vno gradu superius verbū conceptum, cum à Deo patre primò procreatum est. In hoc verò Deo patre fons primus & infinita origo omnis essentiæ, vel potius ipsa infinita rerum omnium essentia: ideòque infinito interuallo excedens eam vnitatem in qua est numerorum communium principium. De qua postea plura dicentur cap.5. lib.13.

2 Res singulæ natura constantes dici solent ab Arist. in numerum cadere & numerabiles esse. In ipso verò numero quo numerantur eædem singulæ sua vnitare comprehenduntur: vel potius per hanc aliquoties repetitam cum aliis in multitudinem abeunt, quæ certo numero comprehenditur. Quod vero sequitur de numeri abstractione, id pertinet ad Mathematica, dum in sua dignitate spectantur, non in vsu populari, qualem mechanica continent. Hic enim illa de physicis animum excitant & ad diuina præparant, sicut à nobis disputatum est contra Thessalum methodicum, nostris prælectionibus in Sphæram.

3 Referendus locus hic ad Platonicam animi definitionem per numerum se ipsum mouentem: itémque ad id quod Pythagorei prima rerum omnium principia in numeris sita esse voluerunt: posteriorem sententiam videtur hic author reprehendere, quod vnitas quouis numero, imo principio numerorum omnium superior & antiquior, sit primum rerum omnium principium. In priore autem indicare voluisse quo modo numeri nomen animo, sicut & intellectui agenti, possit accommodari.

Dicturus de intellectu agente quo modo per medium verbum à Deo emanarit, diuinum numen implorat, sine quo illud à nobis comprehendi non potest: deinde ostendit vnde extiterit eorum quæ sunt multitudo, & qualis procreatio rerum earum quæ in sensum minime cadunt. Cap. 19.

Nunc de intellectu agente quærendum est, quî possit ab aliquo intelligi, quoque modo procreatus fuerit, & qualis perpetua eius conditio qui illum intuetur. Inuestigandum etiam id in cuius cognitionem animus (si nulla re impediatur) maxime est propensus, itemque illud in quo veteres ma-

xime sunt perturbati atque inter se altercati, quo scilicet modo ipsa natura ens unum absolutum multitudinísque omnino expers, procreauerit, & eorum quæ sunt multitudinem, minime tamen repudiata unitate essentiæ, imo verò eadem confirmata. Quoniam etsi omnia ab ipso vno profluant, nequaquam tamen in illud multitudo cadit. Quæ cum proposita fuerint, eadem quoque confirmare conabimur. 1 *Ad id verò pro viribus faciendum primi opificis opem atque assensum imploremus, non ore tantum, sed etiam gestu supplices, animóque abundè, sincere ac sine vlla intermißione ad eundem conuersi, rogemus vt mentem illustret, depellátque animis accrescentes stultitiæ nebulas, quæ de corpore exoriuntur. Sic enim nos speramus talem constitutionem (quanuis vnius veri boni, atque honorandi) confirmaturos. Quoniam hoc ipsum suám lucem in eos immittit, à quibus verè sincerèque expetitur. Primum igitur dicamus quod imprimis quoque exquiritur, Ens vnum idémque verum, eorum quæ sunt multitudinem hoc modo procreauisse.* 2 *Primum quidem id ipsum quod etiam primò eiusdem contemplationi occurrit, nempe ens vnicum, reliquis omnibus superius: quodque cum sit eiusmodi, ad illius essentiam reuertitur & in hac consistens,* 3 *illud vnum verúmque intuetur atque agnoscit superius omnibus quæ intelligi sentiriue possunt: deinde verò cæteras eorum quæ sunt, imagines turbulentas & ab illius præstantia longe interuallo declinantes. Quæ cum ita sint, omnia quæ oriri possunt, appetitione quadam ad ipsum Ens mouentur: alioqui ne oriri quidem possent. Dico autem moueri, quoniam ipsa rerum procreatio ab illo motu quodam modo proficiscitur: si quidem sine eo non potest existere.*

Addo etiam appetitione quadam moueri. Quoniam quod oritur, in naturæ suæ constantia cum eodem similitudinem quandam expetit. Quare & ei per contemplationem occurrit. Atque hæc causa est motus cuiuscúmque ab illo originem habentis. Vbi verò primarium opificem secundum rationem eiusmodi inspexeris, tum intelliges verbum procreatum eidem esse proximum: ab ipso verbo tandem exoriri virtutes quæ euidentissime in numerum excrescunt, omnésque appetitione quadam ad illud moueri & ab eodem pendere, vt à firmo agente, sicut antea probatum est, procreatas. Adeo vt omnia reuertantur ascendántque ad eam rem quæ inter eas quæ ortæ sunt, princeps est & proxima Dei verbo concepto, in quo causa inest causarum omnium, effundens in alias substantias essentiam cuique propriam & accommodatam. De quibus ea omnium accommodatissima, quæ perpetua est. Vnum quódque autem vim à Deo influentem per illam causam mediam recipit, pro sua quicque capacitate atque imitatione. Si quidem omnis substantia corporea, quæque alia est inferior, per prouidentiam primi opificis existit, beneficióque luminis ab illius vnitate manantis. Quare etiam animus ad illum mouetur eo modo quo imagines ad suum exemplar, appetitione propria & aliqua ex parte externa. Quoniam omne quod animatum est, secundum substantiam mutari potest, patibiléque est atque commutabile, hoc ipso quod ratione substantiæ in aliud vertitur. Primus verò opifex res procreatas mouet, gignendo in eis appetitionem boni absoluti sempérque influentis: quod etiam cum omnibus communicat, pro cuiúsque capacitate. Ideóque inter omnia quæ sunt, extrema, sicut dictum est, connectuntur ea communio-

ne quæ inter causam & effectum intercedit. In qua suprema est, causa prima verbo diuino proxima, in qua consistit causa causarum omnium. 4 *Alterius verò extremi atque infimi rationem habet substantia per quam eiusmodi causarum vires sparguntur & in qua eiusdem virtutis descensus terminatur. Quia nihil est inferius quod hanc posit excipere. Cum itáque iam effectum sit omne quod moueri potest, extremum quiddam habere ad quod & à quo moueatur (alioqui enim ne moueri quidem posset) & quod eiusmodi est ad idem aspiret, atque ad illius mutationem se componat, cuius contemplatione nos quóque ipsi oblectamur, idcirco singula illi aperta sunt: hæcque causa est motuum omniũ ab eodem originem habentium. Porro si intelligere velis quod prius querebatur, quo modo primus opifex procreauerit substantias sensum fugientes, perpetuas ac mobiles, cogitatio tibi abstrahenda est ab omni temporis circunscriptione. Quia hæ sine tempore procreatæ sunt, ea actione inter quam & ipsum opificem nullum medium intercedit, & in quam nulla cadit successio. Quomodo enim ea procreatio tempore esset definita, cuius author idem quóque ipse est temporis opifex, & in ordinem adduxit, distinxitque rerum omnium origines tempore definitas? Nec enim temporis author, est agitve in tempore: sed altiore quodam modo dignioréque res procreatæ, ab illo oriri dicuntur. Nempe haud dissimili ei quo corporis vmbra, ab ipso corpore emanat.*

SCHOLIA.

1 Pia oratio & quæ à Christiano Philosopho potius quam ab Arist. profecta videri potest. Ea verò significat neminem de Deo sine errore loqui posse, nisi cui

Deus ipse prælucet suóque lumine discutit densas tenebras quæ ex corporis contagione natæ, faciunt vt mens nostra cæcutiat circa ea quæ sunt natura clarissima. His tamen similia sunt permulta apud Platonem, Mercurium Trismegistum & Plotinum, quotiescunque hi in summam Dei contemplationem se erigunt.

2 Deus contemplando res primum quasi intrinsecus procreauit: cum has, vel potius harum exemplaria in se concepit, quæ deinde in materia informanda extrinsecus imitatus est. In priore autem procreatione per medium verbum conceptum, primum intentus fuit in intellectum agentem: quem idcirco eius filium antea nominauimus, & cum verbo expresso re eundem esse diximus. De quo locus hic est intelligendus. Qui si cui diuinior esse videtur quàm vt ab Aristotele tractari potuerit eo opere in quo naturæ genio ad tempus deposito, magistri Platonis diuinitatem æmulatur, is meminerit, hæc Platonicis non fuisse incognita. Quos testatur Eusebius cap. 10. lib. 11. de præparatione euangelica, grauiter tulisse quod eadem, aut certe magna ex parte coniuncta, à Diuo Ioanne initio Euangelij, tractari animaduerterent. Quasi hic, quem contumeliose barbarum nominabant, iis ipsis explicandis, in alienam doctrinam manum immitteret.

3 Sapientia Dei patris, est in filio, id est, in ipso Verbo. Ergo & eiusdem contemplatio, propriumque contemplationis obiectum, in quo omnia cognoscit: quoniam rerum omnium est exemplar. Sicut & contra, verbum ipsum primo contemplatur patrem, deinde quia res procreando, idearum imagines in materia exprimit, ad has quoque contemplando quodam modo descendit. Quæ omnia non modo cum Platonica doctrina, sed cum Christiana mirificè consentiunt.

4 Hic comparare oportet actum omnino primum, cum potentia omnino prima: vt extrema duo in vniuersitate maxime disiuncta. Actus omnino primus, Deus est rerum omnium opifex: à quo summa earundem perfectio, in quo etiam omnia vniuntur. In materia, potentia omnino prima: à cuius maleficio manat rerum omnium imperfectio: & ex eiusdem partitione, corporum sensilium, quæ eadem specie participant, infinita multitudo. Itàque per materiam virtus primi opificis spargitur, & in eadem eius descensus terminatur.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS,

Aristotelis lib. II.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Ostendit quo modo ex ea sensilis mundi parte, quæ cælestis est, ad intelligibilem mundum, per cõtemplationẽ sit ascendendum. In quo philosophicæ contemplationis gradus explicantur & eiusdem summus fructus indicatur.

Cap. I.

DICENDVM modo est quàm admiranda ratione sydera animique mundi superioris, hunc inferiorem regant: 1 quandoquidem in illo eadem sunt omnia quæ in hoc, sed sub alia specie, nempe nobiliore. 2 Neque tamen intelligi volumus ignobiles formas rerum quæ in mundo hoc ex putredine nascuntur, etiam in illo superiore existere: sed id tantum accipiendum de formis eorum quæ secundum naturam oriuntur. 3 Nos igitur ad institutum conuersi, dicamus Iouis stellam, quæ principatum obtinet inter omnes stellas, quæ illic mundum intelligibilem appetunt, postquam potissimum contemplata est formas puras, ab eisdem bonitatem luménque recipere, pro sua capacitate: prout scilicet huius amantior quã vlla de reliquis stellis, eadémque ratione dignior. Quare qui

eandem

eandem ſtellam contemplatur huic in pulchritudine, dignitatem ac lumine ſimilis efficitur. Vt enim qui è loco ſublimi in terram rubentem oculos demittunt, huius aſpectu rubeſcunt: ſic qui lumen ſuperius, intuetur, eodem illuſtratur. Sed quoniam ſtellæ lumen (quod à luce bonum emanat) partim internum eſt, partim externum: imo verò illius forma, interius lumen eſt (ſi quidem illa in ſenſum non cadit) idcirco ad perfectè planéque intuendum lumen eiuſmodi, non eſt adhibenda ſpeculatio in partem diſtracta, ea ſcilicet quæ externa tantum intueatur, interiora verò minime: ſed totum ipſum perluſtrandum eſt. 4 Atque vt aſpectus oculi, in totum corpus non penetrat, ſed ea tantum quæ in hoc externa ſunt, intuetur: ſic nulla alia vis cum corpore coniuncta, poteſt eiuſmodi internum lumen attingere. Quare ſi ſtellæ virtutem perfectè contemplari vis, neceſſe eſt vt ad ipſum animum te reuoces, huícque ſimilis efficiaris, id eſt, incorporeus. Sic enim euades omnis commutationis expers: réſque eo aſpectu percipies qui intellectus eſt proprius. Ex quo id quoque accidet vt eiuſdem ſplẽdore implearis. Quod idem continget ſi ſpecialiore quodam modo Iouem ſtellarum principem contempleris. Communiore enim ratione in illo conſiderabis pulchritudinem quæ in extremitate altitudinéque conſiſtit. Si verò etiam amplius expetas ſcientia perfecta conſequi illuſtres formas quæ cæleſtibus ſuperiores ſunt, neque aliter ad interiora ſummæ dignitatis quæ illis ineſt, poßis penetrare, intuere penitus eo modo quem expoſuimus, planetarum omnium principem. Tum enim lumen huius, in quo forma quædam ineſt à ſupremo orbe impreſſa, in te effundetur, eiuſdémque radiis illuſtratus, ac illi pene par effectus, vel etiam quodam

modo cum eodem vnitus, tãtum percipies adiumenti, vt supremam claritatem huiúsque participes formas, pro arbitrio poßis aßequi. Si verò ab illo auersus seiunctúsque & ab ab eodem diuisus, ad te conuertaris, talem contemplationem amittes. Quam tamẽ postea recipere poteris, si interim corporeis sordibus non fueris contaminatus: sed ad Iouis stellam iterum conuersus, & cum eadem pene vnius eiusdémque substantiæ. Tum enim omnia, sicut antea, recognosces: nisi quod ipsa disiunctione es interturbatus. Si autem ab hac stella alienus fueris, quoniam & vicißim Iuppiter à te abhorrebit, nunquam supremum orbem attinges. Quare eos qui ad superiores essentias contemplandas aspirant, ad planetarum dominum sic vt dictũ est, oportet esse effectos. Maiore tamen studio in mũdi eius qui cælesti superior est, quàm in ipsius cælestis, contemplationem incumbendum. Quoniam illius scientia quàm huius, nobilior est. Quæ tamen insignis quoque est, & ad illam alteram quasi suo lumine prælucet: nec sine hac intermedia quisquam consequi potest contemplationem supremam boni omnium pulcherrimi. Quo aspectus satiari nullo modo potest, & cuius contemplatorem cũ illo vnum eiusdémque rationis esse oportet. Qui scilicet vi intellectus penetrando, ad illam optimam lucem ingressus, similis efficiatur candelabro eidem adlucenti.

SCHOLIA.

1 Doctrina hæc est Platonicorum (de qua antea dictum) cæleste corpus constare iisdem quibus hæc inferiora, sed esse omnia in illo, modo meliore atque efficaciore. Ex eoque accidere vt propter naturæ communicationem agat in hæc inferiora: non vicißim autem pariter ab iisdem afficiatur. Quanquam per rerum naturalium virtutes allici posse dicantur, virtutes & influxus cælestium corporum. De quo vide Cornelium Agrippam cap. 34. lib. 1. de occulta Philosophia.

2 Deriuatum quoque hoc ex eorundem Platonicorum doctrina. Quoniam il-

li negant rerum vilium, quales eas esse volunt quæ ex putredine nascũtur, ideas esse. Quod omnes hæ in primo rerum omnium opifice vniantur, imo hic non aliud sit quàm idea idearum omnium: quia se ipse, procreando intuetur. Quare cum inter ideam & imaginem quædam esse debeat similitudo, arbitrantur esse consequens si rerum talium idea ponatur, deo opifici & rerum omnium exemplari, cum rebus vilibus & ex putredine nascentibus communionem quandam naturæ vel similitudinem intercedere: quod eius maiestate indignum videtur. De quo plura à nobis dicta sunt Commentario in cap. 8. Alcinoi.

3 Sic à magis & occultæ Philosophiæ sectatoribus, cum planetæ, septem mundi gubernatores nominentur in illis vis maxima Ioui tribuitur. Qui Agrippæ cap. 59. lib. 2. de occulta Philosophia, ex Cicerone lib. 2. de natura deorum, sic dictus videtur quasi iuuãs pater. Et ab eodem nominatur Rex celicolũm, magnanimus, tonans, fulminator, inuictus, altipotens, magnipotens, bonus, fortunatus, dulcis, mitis, bonę voluntatis, honestus, mundus, bene ambulans, & in honore, dominus lætitiæ & iudiciorum, sapiens, verax, ostensor veritatis, iudex omnium, omnes excellens in bonitate, dominus diuitiarum & sapientiæ. Sic ab eodem cap. 26. lib. 1. operis eiusdem, in elementis, humoribus, metallis & lapidibus atque in plantis & animalibus, Iouialia esse dicuntur omnia quæ naturæ sunt præstantioris, quæque homini magis amica, ad vitæ huius incrementum & conseruationem pertinent. Et à Genethliacis homines Iouiales dicuntur, graues in actionibus moderati & prudentes, iusti, liberales, diuites, honorati, fideles atque fælices. Atq; ab ipso Ptolomeo lib. 1. de iudiciis astrorum, Iuppiter Venus & Luna inter beneficas stellas vno veterum omnium consensu numerantur, quòd naturæ temperatæ sint, in qua plurimum insit calidi & humidi. Idémque de Ioue sic scribit lib. 2. Hic si nactus fuerit dominium, inquit, generaliter incrementa rebus confert. Sed peculiariter cum euentus in humanum genus exeunt, largitur gloriam, amicitias, tranquillitatem, pacem: rem familiarem auget, corpus animúmque componit, conficit dona & beneficia à regnatoribus: hósque ipsos, auget & ornat, facit magnis animis, inque summa, felicitatis vniuersæ est author. Animantium reliquarum vtilium ad vitam degendam, copiam & abundantiam, contrariorum exitum & interitum procurat. Tempestates reddit salubres ventis, & imbribus, altrices terrestriũ: fortunat classibus cursus, fluuiorum aquas moderatas conseruat, frugum copiam & his similia efficit. Addendum verò est ex Platonicis, singulas stellas animalia esse quædam ratione vtentia & intelligendi vi prædita, vt à nobis obseruatum est commentario in Alcinoũ. Ex quo dictum est hoc loco, Iouis stellam in mundi sensilis parte superiore & cælesti, mundum intelligibilem appetere: & in hoc, idearum contemplatione potissimum delectari. Vnde eadem vis ad homines Iouiales traducta, efficit vt hi in hoc mundo inferiore rerum consimilium contemplatione valde oblectentur eâque cæteris hominibus longo interuallo præstent. De quo locus est elegans apud Marsilium Ficinum epistolarum lib. 7. in epistola ad Matthæum Forliuiensem.

4 Color enim propriè affectio est corporis terminati quæ in eiusdem superficie aspectabilis est: reipsa autẽ videtur cum aliunde adueniente lumine illustratur. Neque aspectus penetrat per media corpora terminata, sed in horum superficie sistitur. Penetrat verò per ea quæ interminata sunt, qualia sunt quæ diaphana nominantur: in quibus aër & aqua.

Sensus & intellectus comparatio, in cognitionis modo, explicatur: horúmque similitudo & dissimilitudo in relatione ad res obiectas, circa quas versantur. Cap. 2.

1 *Quemadmodum aspectus non percipit aspectabilia, nisi cum illis idem efficiatur, vnitúsque cum eisdem pro sua facultate illa perfectè cognoscit: sic humanus intellectus non potest intelligibilia cognoscere, nisi cum his vniatur. Et aspectus quidem extremitatem rerum percipit, intellectus autem quæ interiora sunt & abdita. Quare firmiore vinculo vnitur cum iis quæ in intelligentiam cadunt, quàm sensus cum illis à quibus mouetur.* 2 *Si quidem omnis sensus functio si diuturna sit, sensum lædit: adeo vt etiam nonnunquam sentiendi facultatem adimat. Intelligendi verò munus aliter ad intellectum se habet: quóque hoc diuturnius est, eo magis intellectum cõfirmat, puriorémque reddit, hoc ipso quod intellectus est. Præterea sensus vehementius afficit quàm eiusdem intelligentia. Quoniam ille dolorem infert & ægritudinem, hæc verò minime. Sensus item naturalem habitum conuenientem non bene percipit, verbi gratia sanitatem (nec enim hæc in sentiendi facultatem cadit) morbum vero promptißime percipit, vt naturæ contrarium, & ad hanc minime accommodatum: eáque omnia facile sentiuntur, quæ suapte natura dolorem excitant. Si vero sensui qualitates eiusmodi ignotæ sunt, quanto magis erunt substantiæ intelligibiles, quæ ab eodem longo interuallo distant valdéque sunt alienæ? Quare sensus intelligentias esse non concedit. Intellectus autem si has esse negaret, se ipse quoque negaret. Esset enim substantia corporea. Quo posito, iam expers esset rationis eius quæ ad intelligendum da-*

ta: nec intelligentiarum essentias ut corporeas, contemplās, unquam ad superiorem orbem huiúsque mentes ascenderet. Quas contra superat cum essentiam suam penitus intuetur.

SCHOLIA.

1 Vt enim intellectus reipsa intelligendo specie rei intelligibilis quodam modo informatur: sic sensus reipsa sentiendo, rei sensilis imagine. Omne autem quod ab aliquo informatur, cum eo ipso maxime propriè unum facit. Atque eodem modo nostra cogitatio attentius in rem aliquam defixa, cum ea uniri dicitur & nos ipsi in ea uiuere. Sic enim amicorum animus unus in duobus corporibus: & amans in re amata potius quàm in se ipse uiuere dicitur. Ad hanc verò comparationem vide Plotinum cap. 1. lib. de intelligibilibus quod non sit extra intellectum. Vbi ostendit cognitionem sensus esse infimam, quia percipit tantum extima: cognitionem autem intellectus, summā, quia inspicit tantum intima. Itémque cap. 1. lib. eius quo idem docet: illud quod est super ens, non intelligere. Quo loco ostendit intellectum pariter esse unitum cum re intellecta & ab eadem distinctum.

2 Addit Arist. cap. 4. lib. 3. de animo, sensum in percipiendo obiecto insigni, vt aspectum in nimio splendore & auditum in vehementissimo sono, offendi & circa reliqua hebetiorem reddi, intellectum autem si quid intelligentia complectatur, quod magnas habeat difficultates, nihilominus, imo verò acriusac melius cetera intueri solere. Ex quo concludit eam partem quæ sensus est, immersam esse & permixtam cum corpore: intellectum verò ab eodem sectetum & separatum. Nempe quod eiusmodi defatigatio in proprio numere & circa proprium obiectum, ex eo contingat quod animus in sentiendo, cum corpore necessario communicet.

3 Sensus mali in corpore necessario malo afficit & à corpore in animum redundantem ægritudinem parit. At intelligentia mali, non necessario intellectum malo afficit: neque ab intellectu in corpus redundat. Quod verò sensus alienum habitum promptius percipit, quam naturalem, id ex eo accidit, quod naturalis vsus consuetudine familiaris effectus est fruendóque à nobis quodammodo cōcontemnitur. Vnde de ipsa sanitate cæterísque rebus eiusmodi, dici solet quàm charæ esse debeant à nobis percipi magis carendo, quàm fruendo.

Mundi distinctio iterum explicatur. In qua ostenditur sensilem ab intelligibili pendere, sicut in sensili, pars inferior & elementaris, cælestis virtute regitur. Cap. 3.

1 *Mens humana cum intelligibilem mundum perspexit, nobis renunciat in illo opus esse primo procreatum summóque decore exornatum. Quod neque laborem ullum patitur, neque molestiam, sed lætitia gestiens, in se ipso continet substantias exultantes, partim huius lumine, partim eo quod ab a-*

liis essentiis influit. In quibus Iouis stella primaria est, exemplar omnium quæ in illo sunt. Neque hæc nusquam est. sed in alio orbe secundo, bono tamen illustri perpetuóque, ac ipsius primi imaginem continente. Quare hic quoque bonus est & absolutus: quoniam superiorem imaginem primariæ formæ similem esse oportet. Rursus verò mundus hic infimus cælesti similis est, vt vitæ, essentiæ atque bonitatis causam in se continenti. 2 Idémque perpetua successione in rerum ortu, quodammodo æternus: sicut & ille cælestis æternus est. Si quidem omnis vita nostra (cum superioris similitudinem quandam in se contineat) ab illo orbe continuata est: hic verò à supremo principio. Itaque errat qui existimat caducum esse intelligibibem mundum. Quoniam huius primarius opifex constans, nec illi adimi quicquam potest. Cum autem intelligentiarum procreator fuerit eiusmodi, illæ nequaquam deficient, neque peribunt, sed æternæ permanebunt: 3 nisi idem opifex sponte sua eas in pristinum statum atque in nihilum redigat. Quod fieri nullo modo potest. Quia eas procreauit nulla antegressa cogitatione, aut deliberatione: sed alia tantum intelligendi specie. Quare primaria lux, quæ vera est essentia, sine fine easdem conseruabit. Hácque ratione firmæ atque perpetuæ eiusmodi intelligentiæ permanebunt.

SCHOLIA.

1 In mundo enim intelligibili prima est Dei patris rerúmque omnium opificis imago: quæ eadem est rerum cæterarum exemplar & idea, rerum omnium ideas in se complexa, eo modo quo sensilis mundus sensilia omnia in se continet. Ideóque resplendere dicitur partim suo lumine, partim eo quod rerum cæterarum ideis est proprium. De hac comparatione duplicis mundi vide Marsitium Ficinum sub finem lib. 6. epistolarum.

2 Aristoteles duobus postremis capitibus lib. 2. de ortu, docet in hoc mundo in-

feriore res singulas oriri & interire, nec ad numerum easdem manere. In sua tamen specie æternas conseruari, beneficio procreationis similium, in quo est à veteribus positus fluuius sempiternitatis. Vicissitudinis autem in ortu & interitu rerum singularũ, causam idem positam esse vult in Solis reditu ad nos, & in eiusdem declinatione: æternitatis verò in vniuersitate naturæ & in rerum formis, causam pendere ex æterna primi orbis conuersione, quæ semper est vnius modi.
3 Significat & in cælestibus intelligentiis nullam esse congenitam intereundi necessitatem: quia in eis nihil est concretum, nihil naturæ legi subiectum, & quoniam à primo rerum omnium opifice sine vlla intermedia causa dependẽt. Quæ verò sunt eiusmodi, eadem primi opificis beneficio & voluntate æterna conseruantur. Sicut Plato indicauit in Timęo, cum distinxit origine, partem animi qua ratiocinamur & intelligimus, à reliquis quæ cum belluis nobis sunt communes. De quo abunde dictum est Commentario in Alcinoum.

Cur lucis nomine Deus à nobis soleat exprimi, quóque modo per cæterarum rerum abstractionem & negationem cognoscatur: deinde quis ordo sit mundi varij & multiplicis, ad intellectum agentem & ad animum humanum. Cap. 4.

1 *Primariæ lucis appellatione primum opificem exprimimus, necessitate quadam coacti. Quoniam eius essentiam, qualis ipsa in se est, explicare non possumus, neque attingere. Atque quantuluncúmque est quod mens humana in illa intelligit, id astractione quadam & huic quasi succenturiata negatione assequitur,* 2 *gradatim ascendendo: donec defatigata conquiescat vt imperfectissima. Quandoquidem hæc omnium rerum procreatarum, quæ intelligendi vim habent, est infima. Rursus, igitur ad institutum regressi, dicamus principem essentiam, quæ lux est infinita, nulla ex parte interire: ideóque ab illa perpetuo illustrari orbem eum qui cælesti superior est, & ab hoc cælestem. Ex quo etiam secundus hic, qui in infimum principatum obtinet, sempiternus futurus est, tanquam ramus ab illo primario enatus. Et quanquam princeps superioris mundi, ab inferiore pauca accipiat, hunc tamen conseruare conatur.* 3 *Porro intelligibi-*

lem mundum lux primaria conſeruat, illéque cæleſtem: hic verò infimum qui in ſenſum cadit: inter quem & ipſum intelligibilem medius eſt. Omnes autem continentur atque conſiſtunt virtute primi opificis, qui eos ſuo numine confirmat, & ſuſtinet: vt pote qui mundum primum exornat, à quo reliqui pendent: quique infinitus eſt virtute ſua, bonitate ac pulchritudine. Hunc ſubſequitur intellectus agens ab eodem illuſtratus parſque mundi intelligibilis optima & nobiliſſima. Agenti intellectui proximus animus, vt eiuſdem imago. Qui contemplando mundum intelligibilem, longe pulchrior efficitur: tandiúque talis permanet, quandiu illum intuetur: cõtra verò ab eodem auerſus, priuatus ſuo lumine, deformatur. Quo etiam modo nos ipſi quandiu animum noſtrum intuebimur, in eodémque conſiſtemus, pulchri probíque erimus: ab illo autem auerſi & quaſi transfugæ, turpes efficiemur & improbi. Præterea cæleſtis mundi animus venuſtatem pulchritudinémque ſuam in ſtellam Veneris potiſſimum immittit: deinde illa ab hac, communicatur cum mundo hoc qui in ſenſum cadit. Non enim, vt antea dictum eſt, terreni mundi pulchritudo, ab alio quàm à cæleſti exiſtit.

SCHOLIA.

1 In ſenſilibus enim nihil eſt quod magis Deo reſpondeat quàm ipſa lux. Ideóque Plato lib. 6. de Rep. Solem à quo prima ſenſilis lux emanat, appellat ipſius boni, id eſt, Dei filium. Quia vt in illis, nihil eſt apertius luce, in eiuſdem eſſentia explicanda, nihil obſcurius: ſic Deo in effectis nihil eſt clarius, in eſſentia nihil eodem nobis magis reconditum. De quo vide librum Marſilij Ficini. Quid ſit lumen in corpore mundi, in anima, in angelo, in deo, eiuſdémque librum alterum de Sole. Quia in parte doctrina Platonica cum Chriſtiana valde conſentire, vt colligi poteſt ex initio Euangelij Diui Ioannis. Quod etiam veteis Platonici in eo homine quem contumelioſè barbarum nominabant, valde ſunt admirati, ſicut à nobis alio loco eſt obſeruatum.

2 Idcirco

2 Idcirco iidem Platonici in Mathematicis abstractionibus, præparationē quandam sitam esse voluerunt eius ascensus ad Deum, in quo summam Philosophiæ perfectionem posuerunt. Porro de deo veriores esse negationes ipsis affirmationibus, Platonicorum etiam doctrina est & Christianorum. De qua multa à nobis collecta sunt ex D.Dyonisio lib. de diuinis nominibus & D.Thoma contra gentiles, commentario in Alcinoum capite de deo.

3 An verò ista lux primaria mundo etiam intelligibili superior est, cum vis conseruandi semper esse videatur in aliquo superiore? Equidem in doctrina Platonicorum, quam hic author sequitur, primus opifex rerum omnium, mundo intelligibili superior est, sicut dictum antea cap.15. lib. superioris. Ipsa verò prima lux intelligibilis, à primo opifice in omnia intelligibilia effunditur, sicut prima lux sensilis, ab ipso Sole in omnia sensilia.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 12.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

In homine duo principia, quibus constat, inter se comparantur: atque ostenditur quo modo ipsum corpus, animo sit organicum. Cap. 1.

1 *NVNC considerandum est num vtraque hominis pars interire posit, an vna tantum, altera mortali permanente, & quæ eiusmodi natura sit. Idque vt perfectius intelligatur, naturali ratione inuestigandum est. Homo simplex non est, sed*

constat animo & corpore, 2 quod instrumentum est cum animo coniunctum, ab illóque specie diuersum: quódque quanquam cum animo aptissimè vniatur, non tamen est eiusmodi vt ab eo separari nullo modo poßit: aut vt ipsum in se sit satis constans atque firmum. Si quidem compositum est, non simplex. Omne autem compositum, dissolubile est in ea ex quibus componitur. Quibus efficitur, illud nequaquã permanere. Idque res ipsa testatur. Si quidem videmus corpora variis modis dissolui, tum ab aliis, tum à seinuicem: præsertim cum ab eis nobilis animus fuerit separatus. Contra verò, si corpus permanet, superioris animi beneficio conseruatur: nec sine eo vnũm est, aut naturæ constantiam vllam habet. Quandoquidem dissoluitur in materiam & formam, ex quibus constat. Animo autem abeunte, quo corpus ipsum continebatur, hoc vt quantum, diuiduum est in tenues partes. Atque hæc in illo interitus species vna est. Cum itáque corpus sit hominis pars altera, efficitur non vtrámque partem in illo interitus expertem esse, sed vnam interire, eam scilicet in qua animi est instrumentum. Quo ille indiget, non semper, sed tempore definito. Alioqui dissoluto instrumento animum quoque interire esset necesse. Quod certe non contingit. Quoniam animus à corpore separatus, adhuc permanet, nulláque ex parte consumitur, nec eius natura vllum interitum admittit: formáque est per quam homo est & consistit. Quare etiam ipse verè animus est: corpore autem indiget, sicut artifex instrumẽto. 3 Nec tamen hoc intereunte, ipse interit. Corpus autem animi instrumentum esse dicitur., quia vt artifex indiget instrumentis ad opus accommodatis, verbi gratia faber securi, sutor acu, messor falce,

nauta remo: sic animus aptum corpus sibi expetit in quo sit, animique facultates, partes corporis organicas, in quas ipse influit. Id verò ita esse ex eo intelligi potest quod animus in suis facultatibus corporis temperationem sequitur. 4 Siquidem eius actiones manifestam varietatem recipiunt, corpore quauis de causa, vt ab ægritudine, immutato. Contráque multa corpori accidunt propter animam eodem vt instrumento vtentem: vt tristitia, metus, cupiditas, lætitia, dolor. Quare inter ea affectionum communicatio & commutationis quædam vicißitudo, indicant corpus aptum esse oportere ad seruiendum animo dominanti. Idque amplius ex eo etiam intelligitur, quod animali aliquo, sicut accidere solet, intereunte, nunquam alterum exorietur cui idem animus accommodari poßit. Vt cuiuis animali animus proprius insit: 5 non autem retro commeando, cuiuis animo subiectũ sit proprium animalis corpus. Nam quia præparato corpori animum respondere necesse est, idcirco temperationem eius non eandem esse oportet in animoso & timido: quemadmodum non eadem sunt ferramenta fabri & sutoris. Itaque quia animus in leone elatus est, prudenter sibi accommodauit corpus instrumentis distinctum ad oportunitatem. Cui dedit os solidum ad robur, dentésque ad morsum. Cani leues pedes ad velocitatem rursus: equo duram vngulam ad pugnam, reliquásque actiones: Boui corpus cornigerum & ad labores magnum, cæteráque distinxit pro dignitate vel indignitate functionum. Vt cum leporis animus expers sit audaciæ & roboris, ad euadendum periculum, corpus leue conformauit: oui autem sagax ad euitanda potentiora animantia.

SCHOLIA.

1 Videtur hoc opere in ordine perpetua quædam Platonis imitatio. Vt enim ille in Timęo à mundo intelligibili per medium sensilem, in hominem tanquam in minorem mundum desinit: sic author hic superiora omnia quæ de duplici mundo dicta sunt, deducit ad hominem, cuius gratia, sensilis mundus à primo opifice se ipsum intuente, videtur esse conformatus. De cuius animo & organico corpore multa hic dicuntur ad illustrandam doctrinam peripateticam pertinentia.

2 Idcirco Aristoteles cap.1.lib.1. de animo, Platonicos reprehendit quod in homine de animo tantum agerent, corporis autem, quod illius est domicilium, nullam rationem haberent. Quasi verò, inquit, fieri posset ex Pythagoricis fabulis, vt quiuis animus in id corpus quod occurrerit, immigret: cum in suo quicque genere permanere videatur. Similiter autem dicunt vt si quis fabrorum artem in tibias ingredi assueuerit. Vt enim ars instrumentis, sic animus corpore vti debet.

3 Melius hic & distinctius, quàm cap.1. lib. 2. de animo. Illic enim quia animus definitus est perfectio prima corporis organici, potestatem vitæ habentis, colligitur eundem, aut certe aliquas eius partes, si ex partibus constet à corpore separari non posse. Nisi forte, inquit, perfectio sit corporis, vt nauta nauigij: id est, vt assistens tantum, non vt insita & addicta. Hic verò determinate constituitur etiam si animus humanus in vita hac organico corpore indigeat, non esse tamen perfectionem omnino insitam & corpori addictam, sed in præclarissimo intelligendi munere quasi assistentē, vt artificem instrumentis, & idcirco penes hanc illum ab eodem corpore esse separabilem: etiamsi in intelligendi initiis his indigeat quæ corpori sunt addicta. De quibus postea suo loco.

4 Ratione partis inferioris animi, talis est apud Platonicos inter hunc & corpus connexio, qualis inter ignem & bitumen cernitur: sicut ab Alcinoo dictum est cap.18. Sicque inter eadem magna sympathia intercedit: propter quàm ab animo in corpus & contra à corpore in animum permulta redundant. De quibus vide Arist. initio lib. de Physiognomia. Ratione verò partis superioris & ad cōtemplandum datę, in eodem animo corporis quoddam odium, & in corpore maximum animi impedimentum. Propter quod iidem Platonici corpus animi carcerem & ergastulum nominauerunt.

5 Sic legitur in eo exemplari quod secuti sumus: neque verò ausus sum quicquam immutare, vt lectori liberum iudicium semper relinquerem. Quanquam ad eam sententiam quàm facile est ex sequentibus elicere, de posteriore parte negatio videtur esse detrahenda. Vt significet, quemadmodum cuiuis animali proprius animus inest: sic retro commeando, cuiuis animo proprium corpus & certo modo præparatum, subiectum esse oportere.

Animo humano perfectissimo, corpus organicum perfectissimum à natura esse subiectum: & in huius manu primum organum esse situm, cuius vi infinitam aliorum instrumentorum varietatem sibi potest componere. Cap. 2.

1 *Cum animus humanus nobilior sapientiórque sit reliquis, eóque diuinæ substantiæ propinquior, corpus quoque omniū*

nobilißimum ſibi præparauit & membra aptißima ad artes tractandas. Cúmque ad opera varia, in quæ incumbit, variis inſtrumentis indigeat, neque potuerit ea omnia in coniuncto corpore formare: vnum adornauit, ipſam ſcilicet manum, aptam ad illam multitudinem diuerſorum inſtrumentorum conſtruendam. Quoniam ſi inſtrumentum haberet vnicum & ad vnum tantum vſum deſtinatum, non poſſet cætera conficere. Dedit quoque corpus erectum atque in eodem ad ipſas manus, pedes adiecit, vt poßit multas alias animantium ſpecies opinione pene innumeras, varietate geſtus imitari, horumq́; multiplices motus effingere. Quod facere non poßet, ſi de illis vnum tantum naturalem haberet.

2 *Quia in vnum hominem quodãmodo cadunt ea omnia quæ in reliquis animantibus ſunt diſtincta. Vt leonum imperium, ad quod vtitur lorica, clypeo, arce: in eóque magis inſtruitur baliſta & ariete, ad muros diruendos eáque propulſanda quæ ſunt nocitura. Itémque telis ad pugnam, equo ad celeritatem, qualis ineſt lepori: & ad naturalem præcautionem, qualis in oue. Quæ omnia homo vi inſtrumentorum quæ ſibi comparauit, potentiora habet quàm belluæ. Idémque dirigente facultate intelligendi, multa facit exquiſita, quæ naturalem cogitationem ſuperant (naturalia enim habet cum belluis communia) vt quæ artè conſtant, verbi gratia muſica inſtrumenta fidibus apta, & ex arte iis vtendi modum. Atque præter ſonora inſtrumenta quæ excogitat ad exprimendas cum voluptate belluarum voces, inuenit etiam retia quibus volatilia, piſces ac feras captat ſibíque ſubiicit. Variam quoque commoditatem percipit ex aqua, aëre, ſole, luna reliquíſque ſtellis. Et mentis prouidentia*

rectas leges fert moréſque componit: libros edit quibus ſcientiæ continentur: literarum formas innouat: ſphæráſque varias, quæ nobis ſunt pro cæleſtibus orbibus, & horarum rationem continent. Atque multis ante ſeculis prognoſtica deſcribit præſentibus, iiſque qui poſt nos victuri ſunt, profutura. Quare ſicut antea dictum, corpore eſt erecto eóque à belluis differente: apto tamen ad eas formas imitandas quæ belluis inſunt, aut cum iis coniunctæ apparent, quas in variis actionibus varias induit. Aliter enim compoſitus eſt ambulans, quàm equo inſidens, & diſputans quàm ſcribens. Fabri quoque ſitus in obeundo proprio munere, alius eſt quàm ſutoris. Atque conuiua in accubitu differt ab arāte: ſicut & qui canit, à ſtertente, & qui lyra vtitur, ab eo qui tympanum pulſat.

SCHOLIA.

1 Perfectionem hanc tēperamenti in homine, etiam Galenus agnoſcit & prædicat libris de Temperamentis. Quod vero de manu ſubiicitur id repetendum eſt ex prob.4.Sect.30. Cur Seniores, inquit, amplius mente valemus, iuniores ocyus diſcimus? Quia natura parens & author omnium, inſtrumenta nobis duo dedit quorum opera extraneis inſtrumentis vti valeremus, manum inquam corpori dedit & animo mentem. Quæ eadem ſententia Galeni cap.4.lib.1.de vſu partiū. Idque opponi poteſt Plinio de natura conquerenti in præfatione lib.7.quod hęc cęteris animalibus aliquid dederit ad vitæ defenſionem: vnum vero hominem nudum abiecerit ad vagitum.

2 Homo enim vnus inter omnia animalia, vt Ariſt. ait probl.5.Sect.30.vim maximè obtinet imitandi. Hinc enim diſcere tam multa & varia poteſt. Quæ autem hoc loco pluribus enumerantur hominum inuenta, ſiue ad corpus tutādum, ſiue ad ingenuas artes pertinentia, quorum hominum ſingula inuenta ſint & quo tempore, vide apud Plinium lib.7. & apud Polidorum Vergilium lib. de inuentoribus rerum.

Vt corpus humanum in manu aptitudinem habet ad omnia inſtrumenta conformanda, nullum autem horum ingenitum: ſic in mente ingenitam facultatem eſſe docet ad omnes formas intelligibiles recipiendas, nullam vero harum ingenitam. Vnde quæſtio de Platonica recordatione vitæ ſuperioris, quæ hoc loco proponitur. Cap. 3.

Animus belluarum, ut antea expositum est, dedit animalibus quibus inest, tam instrumēta actionibus accommodata, quàm naturales impetus profuturos ad ea propulsanda quæ nocitura, pro singulorum conditione. Humanus vero neutrum homini largitus est: sed corpus tantum agile instituit, pro varietate instrumentorum, docilitatémque dedit sine peritia, pro naturali impetu. Alioqui si is scientiam à natura secum deferret, nunquam hunc infimum orbem appeteret: nec ea disciplina indigeret, quæ posita est in abstractione à sensilibus formis. 1 Nisi fortè quis respondeat illũ quidem naturali peritia esse præditũ, sed cum hic inuolutus sit, non posse illam detegi sine eruditione: nec præteritorum recordationem in eodem excitari, nisi à rebus inferioribus adiuuetur. Quod profecto non ita se habet. 2 Quoniam illæ non continet vllam formam corpoream qua antea quasi inuoluatur: alioqui ab ea nullam aliam admitteret. Quare neque intelligēdi vim haberet. Sic enim aër & aqua si quem proprium colorem haberent, alium ab illo non susciperent, neque per hæc media quicquam videretur, nisi sub vnius coloris specie: cum tamen ea elementa accommodata sint ad percipiendas omnes colorum differentias. Quod etiam de sensuum instrumentis est intelligendum. Si enim oculus natiuum & proprium colorem aliquem haberet, alium ab eo non perciperet. Idémque de auditus, odoratus & reliquorum sensuum instrumentis verè dici potest. Quare cum animus paratissimus sit ad recipiendas per abstractionem formas omnes rerum sensilium, nullam earum profecto insitam habet. Ex eoque formarum locus dicitur. Quod maximè de ea parte est intelligendum in qua inest ratiocinandi princi-

pium. Quæ cum ita sint, hæc per se proprias actiones exercet, sine vllo instrumento corporeo. Ideóque interitus omnino est expers.

SCHOLIA.

1 Locus hic peripateticorum proprius est, & à Platonica doctrina de recordatione vitæ superioris alienus. Nam lib.4. prioris nostræ descriptionis physicæ, obseruauimus, quod nonnulli non satis attentè considerant, in re proposita hoc inter Platonem & Aristolem interesse, quod Platoni animus quando primum cum humano corpore coniungitur, tabula rasa est, in qua antequam in vitam hanc ingrederetur, erant ingenitæ rerum omnium intelligibilium formæ, sed ea obliuione quam corporis contagio attulit, obliteratæ & abrasæ. Aristoteli autem idem tabula omnino noua, in qua nihil ingenitum prçter nudam facultatem ad omnes illas formas recipiendas, sicut colligi potest ex cap. vltimo lib.2. Analyt. post. Indéque apud eosdem Platonicos non ignobilis quęstio existit, quo modo animus iam illa rerum omnium cognitione instructus, in humanum corpus (quod pro sua dignitate odisse debuerat) descenderit, sua ne sponte, an alieno imperio. Quæ tractata est à Plotino vno libro, de animæ descensu in corpora.

2 Locus idem apud Arist. cap.4. lib.3. de animo. Quam rationem habet inquit, ad res quæ sensum mouent, ea pars animi quæ sensus est particeps, eandem ad intelligibilia ipsa mens. Sit igitur hęc, quoniam omnia intelligit, omnis concretionis & admixtionis expers, quemadmodum ait Anaxagoras: vt in omnia suum quoddam dominium habeat, id est vt notiones rerũ percipiat. Quod enim alienæ esset naturæ id omne prohiberet & à se reiiceret, si in propinquo existeret. Ex quo efficitur nullam eius naturam esse aliam nisi eam qua vim intelligendi habere dicitur. Mens autem animi quæ vocatur, nihil est reipsa eorum quæ sunt, prius quàm intelligat. Itaque consentaneum est eam non mixtam nec concretam esse cum corpore. Afficeretur enim calore & frigore: aut etiam ei instrumentum quoddam esset, vt est ei parti qua sentimus. Nunc autem nullum est. Ac rectè quidem sentiunt qui animum formarum locum ac sedem esse dicunt, nisi quod non est in toto animo earum sedes, sed in ea parte quæ est mentis & rationis particeps: neque id reipsa, sed eam solam vim habet vt species & imagines recipiat. Quæ omnia viam parant ad statuendum de animi immortalitate ex iis naturæ fundamentis quæ ab eodem Arist. sunt posita.

Prima functionum animi distinctio explicatur, in eas quibus cum corpore necessario communicat, & in alias in quibus corpore potius impeditur quàm adiuuatur. Cap. 4.

1 *Animus humanus ignobiles quasdam functiones habet, ad quas corpore indiget, vt eas quæ sunt facultatis oratoriæ cæterarúmque artium, quas sine membris tanquam instrumentis ad eas destinatis, exercere non potest. Ad plerasque autem*

autem cogitationem adhibet, vt in deliberando atque contemplando: cum ex manifestis ad ea quæ latent, progreditur. Alias verò nobiliores habet ab intelligendi virtute manantes, & quas ipse pro sua facultate exercet, sine vlla progressione ab vno ad alterum: ad hásque nullo corporis ministerio indiget. 2 *Omnis autem forma quæ corporeis instrumentis ad edendam actionem non eget, interitus expers est. Quoniam eadem quoque simplex est. Quod autem eiusmodi, in alia dissolui non potest: sed constans permanet nulláque ratione absumitur. Atqui animus simplex est. Si quidem ex eo intelligitur compositum illum esse non posse, quòd simplicium formarum atque repurgatarum locus sit, eásque attingat æquabiliter, nec in meditando magis celeriúsve vnam recipiat quàm alteram. Non aliter quàm speculum rerúm obiectarum imagines, aut aër colores, sonos, odores, rerumque aliarum in sensum cadentium formas excipit, sine vllo discrimine aut perturbatione: quas ad sensum defert, conseruátque pro singulorum ratione. Quæ functio animo secundum naturã inest, atque semper. Quod autem simplices formas recipit, interire non potest. Quódque simplex absolute, omni ex parte est sui simile. Cum itaque animus vtroque modo se habeat, efficitur hunc interire non posse.*

SCHOLIA.

1 Functionum ab animo manantium in homine tres gradus facit. Primum quidem earum quæ manifestè & extrinsecus cum corpore communicant, qualis est oratoriæ facultatis, ad quam voce & gestu corporis manifesto est opus. Secundum, in interiore cogitationis discursu à præcognito: in quo etiamsi nihil extrinsecus in corpore appareat, ipsa tamen phantasia necessario cooperatur. Hęc autem corpori est addicta: De qua dictum ab Arist. cap. 1. lib. 1. de animo. Si ipsum intelligere aut actio est eius partis in qua visa imprimuntur, aut sine ea non est, illud sine corpore constare nullo modo posse. Tertium verò statuit in quadam ecstasi, & raptu animi à corpore, in quo antea posita summa Philosophi-

cæ contemplationis perfectio: quæ propria mentis repurgatæ, diuina intuentis, non ad hæc discurrentis ex vllis imaginibus rerum prius perceptarum. In qua postrema functione animus nihil omnino cum corpore communicat: sed eo potius impeditur, quàm adiuuatur. Ideóque in eadem positum est, non incertum immortalitatis argumentum.

2 Hic expressa est ratio vnica quà à naturæ lumine petita, Aristoteles vti solet ad confirmandam mentis humanæ separationem à corpore & immortalitatem. Nempe quia eius actio quędam est propria, in qua edenda nihil cum corpore communicat. Quæ ab illo vsurpata est ca.1.lib.1. de animo, & cap.3.lib.2.de animalium ortu. A nobis autem sedulo comparata cum rationibus omnibus Platonicis, Commentario in Alcinoum, in digresſione de animi immortalitate.

Ex infinita discendi cupiditate in homine, animi virtus infinita colligitur. Qua posita, eiusdem immortalitàs iterum concluditur, repetita superiore sententia de scientiis minime ingenitis. Cap. 5.

1 *Amplius etiam animus rationis particeps secundum naturam sempérque discendo agit. Quoniam videmus hominē quadam semper in vita hac ignorantem, aſsiduè discere, nec vnquam in huius natura, discendi studium deficere: imo vero pro eo quod discendum superest, eundem in discendo pergere. Atque quod est eiusmodi, idem perpetuo sibi simile est, aut etiam melius euadet, si magis tale efficiatur.* 2 *Quoniam quod ita progrediendo facultatem suam semper adauget, neque in hac finem vllum attingit, id virtutis est quæ neque interrumpi potest, neque deficere. Hoc autem vires habet infinitas. Ex quo efficitur, neque dissolui posse, neque interire:: sicut contra accidit vt corpus quod terminatum est & finitum, dissoluatur atque intereat. Positum autem est hominem aſsiduè noua quædam discere. Quia vt antea confirmatum, natus est informis rerúmque omniū ignarus: nec vllam doctrinam habet à natura insitam, sed solam facultatem ad eas percipiendas. Eiusdémque animus procreatus est non iam eruditus, sed qui in scientiis & moribus gradatim*

potest erudiri. Alioqui ne discere quidem quicquam posset: quemadmodum neque planta, quia ad discendum nullam habet facultatem ingenitam. Si vero homini certa quædam doctrina à natura esset insita, hæc illi satis esset, propriáque foret, nec fieri vllo modo posset vt aliud disceret, sicut in reliquis animantium generibus rem se habere deprehendimus. Ex quibus apparet nullam scientiam simul cum homine esse natam, sed solam facultatem ad eam percipiendam: sicut oculo nullus color est ingenitus, sed sola vis ad omnes recipiendos. Est enim eadem ratio animi ad ipsa intelligibilia, quæ oculi ad ea quæ aspectabilia sunt: vtque aspectus est oculi perfectio, sic intelligendi actus, ipsius animi. Ac quemadmodum oculus sine discrimine se habet ad omnia aspectabilia: sic animus ad omnia intelligibilia. Amplius etiam vt oculus reipsa non videret, nisi ad videndum esset præparatus: sic neque animus reipsa intelligeret, nisi in eo antegressa esset ad intelligendum quædam aptitudo.

SCHOLIA.

1 Sic Solon, vt apud Ciceronem est in Catone, dicere solebat, se senescere quotidie, multa discentem. Et Marsilius Ficinus initio Theologię Platonicæ ex perpetua cupiditate discendi verique contemplandi, quæ nunquam in vita hac expletur, colligit aut hominem cæteris animantibus miseriorem, aut huius animũ à corpore separatum, immortalem esse: vt hanc cupiditatem aliquando expleat. Addit Arist. lib. 3. de animo, quo hic difficiliora plurà que contemplando assecutus est, eo ad alia intelligenda alacriorem esse. Ex quo colligit partem eam quà intelligimus, minus cum corpore communicare, quam sensum: quoniam hic multa sentiendo & insignia, quotidie hebetior redditur. Quanquam & ipsius mẽtis senectus quædam esse dicitur in politicis, ideóque queritur an magistratus debeant esse perpetui: quod verendum sit ne Resp. tandem incidat in delirantes senes.

2 Lib. 1. de cælo, Aristoteles docet, facultates & qualitates quæ corporibus addictæ sunt, simul cum iis augeri & minui. Ex eóque concludit si quod corpus natura graue, esset sua mole infinitum, eius quóque grauitatam infinitam esse oportere. Quare si animus noster discendi vires habet infinitas, non potest eas finito corpori addictas habere, sed natura corporea superiores.

1 Aristoteles lib. 3. de animo, docet eum intellectum quem in homine possibilem appellant, in eo similem esse tabulæ nudæ & nouæ, in qua nihil adhuc depictum est: ideóque respondere materiæ primæ. Quod vt hæc se habet ad omnes formas rerum naturalium, sic ille ad omnia intelligibilia. In quo quid differat à sententia Platonis de eiusdem comparatione cum tabula rasa, à nobis alio loco est obseruatum.

Ex superiore aptitudine ad omnes formas intelligibiles recipiendas, colligitur simplex omnino animi natura, & ex hac rursum eiusdem immortalitas. Cap. 6.

Animus, vt antea dictum est, aptus est ad recipiendas omnes formas, eas à rebus sensilibus abstrahendo. Quare in sua substantia nullam eiusmodi formam habet: sed solam aptitudinem, quæ illius prima forma est, eadémque propria. Si quidem animus hoc ipsum quo animus est, habet ab hac ad recipiendum facultate: ac vt sepius dictum, si certa forma vlla animo inesset, is ad omnes reliquas recipiendas ex æquo aptus non esset. Quoniam hæc aliis hoc ipso debilioribus quod essent alienæ, recipiẽdis obsisteret. Porro si animus nullam habet propriam formam atque insitam, in se ipse simplex est: præsertim cum omne compositum, propria forma sit præditum. Erit igitur animus compositionis expers & simplex talísque absolutè, non secundum relationem ad alterũ. Quoniam simplex aliquid esse, dupliciter intelligitur. Aut enim eo modo quo simplex esse dicitur subiectum primum: quod principium est omnium corporum, aptum ad omnes formas dimensionésque tres & quatuor qualitates. 1 *Quod quidem ex aliis nullo modo compositum est, atque idcirco absolutè simplex appellatur. Alio modo simplex aliquid esse dicitur, per comparationem cum iis quæ ex eodem componũtur: vt elementa quatuor, verbi gratia ignis, aër, aqua & terra, quando cum mixtis conferuntur, simplicia nominan-*

tur:composita autem cum referuntur ad materiam triplici dimensioni subiectam & ad qualitates quatuor simplices.
2 *Itémque animalis corpus si ex quatuor primariis qualitatibus spectetur, compositum est: idémque simplex, si ad plãtas referatur. Et plantæ compositæ sunt ratione elementorum, eædémque simplices ratione humorum. Humores quoque compositi sunt, si plantarum rationem habeas: simplices si spectentur ex comparatione cum partibus quæ sui similes sunt, in quibus habentur ossa, nerui, venæ. Quæ rursum compositæ sunt ex humoribus: simplices autẽ, si ad instrumentarias referantur, vt ad carnem, cerebrum, iecur, caput, manus & quæ iis similes sunt. De quibus nonnullæ spirationis instrumenta sunt, quædam nutritionis, aliæ ad edẽdam vocem datæ, aliæ ad sensum ac motum & ad dirigendum corpus, quædam etiam ad procreationem, aliæ ad cogitationem, vel ad operis alicuius effectionem. Quæ omnia ad corpus relata, simplicia sunt: ipsum vero corpus absolutè cõpositum. Quoniam ex eo amplius aliquid componi nullo modo potest, ratione cuius simplex esse dicatur. Triplex autem dimensio siue soliditas, singulæ qualitates quatuor, prima item materia atque forma, in simplicibus absolutæ habentur.* 3 *Atque materia prima quodammodo intelligitur subiectum vltimum, quod quidem cogitatione abstractis à corpore qualitatibus primis & secundis, trináque dimensione, quibus ipsum subest, adhuc saluum manet. Illáque simplex est absolutè & omnis permixtionis expers. Quanuis autem animus corporis membra componat informétque ex elementis, triplici dimẽsione, & ex qualitatibus, atque regat totum corpus in quo est: extrinsecus tamen illi aduenit. Quoniam eidem proprius*

est orbis iste superior, à quo quo modo in hunc descendat, antea dictum est, & paulò post repetendum. Ex quibus efficitur animum non esse formam compositam, sed omnino simplicem. Cúmque omnis corporis coagmentatio sit dissolubilis in ea ex quibus constat, quod autem omnino simplex est, dissolui nullo modo posit, ideóque interitus sit omnino expers, consequitur animum immortalem esse oportere.

SCHOLIA.

1 Ex hoc loco colligi potest materiam primam, etiam si semper ad corpus referatur, non esse tamen ratione sua sub forma corporis intelligendam. Quoniam iam esset hoc aliquid, & naturæ determinatæ: quod eidem repugnat. Quanquam de eo inter Aristotelis interpretes quæstio est.

2 Hic manifestè in sententia peccatum est. Quoniam absurdum animalis corpus si ad plantas referatur, his esse simplicius. Et tamen sic legitur in eo exemplari quod secuti sumus. Suspicor autem esse legendum pro animali, minerale. Vt hoc intelligatur de iis quæ eruũtur & effodiuntur è terra: quorum natura haud dubiè simplicior est quàm plantarum. Sed nolui quicquam immutare, vt lectori liberum iudicium relinquerem. Quanquam paulo post cum diceretur membra animalis ad corpus relata, esse composita, necessitate coactus existimaui hoc immutandum, legendúmque simplicia.

3 Quæ dicuntur hoc loco de materia prima, consentiunt cum Platonica doctrina in Timæo & cum Aristotelica cap. 9. lib. 1. Physic. Illic enim Aristoteles ostendit eam neque omnino in sensum cadere, quia non est hoc aliquid, neque posse, nisi adulterina quadam ratione, & tantum per analogiam, intelligi. Quoniam nulla forma intelligibili reipsa est informata. A qua cum author etiam cogitatione abstrahit triinam dimensionem apertè confirmat, quod paulo ante indicauimus, eam natura sua, sub forma corporis non esse intelligendam, etiam si ad corpus referatur. De qua quæstione nobiles sunt & dissidentes inter se, quorundam peripateticorum sententiæ.

Occupatio est nonnullarum dubitationum, quarum explicatio nouam confirmationem continet immortalitatis animorum. Cap. 7.

1 *Si quis verò contra contendat animum quidem sua essentia simplicem esse, sed non perfici sine corporeis instrumentis: Quòd scientiarum perceptione hîc perficiatur, ad quarum principia sensibus dirigimur, quibus corporea instrumenta subseruiunt: hísque rationibus effici arbitretur,*

illum ad ſui perfectionem corporeis inſtrumentis indigere: eóque poſito idem concludat neceſſe eſſe intereuntibus eiuſmodi inſtrumentis, animum quoque interire: atque amplius adiiciat ſubſtantias omnes, præter opificem primum, ex materia & forma conſtare, itémque, animum ea contemplari quæ congenea ſunt, neque tamen exquirere quæ à materia ſunt ſeiuncta, quare & eum cum rebus materiatis conuenire, idque apparere in communi vſu inſtrumentorum ad corpus pertinẽtium: huic idem quod antea, reſpondebimus, animi ſcilicet operationes triplices eſſe. Quarum vna à communicatione cum corpore proficiſcatur: reliquæ verò duæ corporeis inſtrumentis non indigeant. Hæ verò verſantur in deducendis concluſionibus ex accommodatis principiis, & in progrediendo ab vno præcognito ad alterius cognitionem. In quo animi dignitas propriáque functio exiſtit. Falſum verò eſt ſubſtantias alias omnes à prima, ex materia & forma conſtare, animúmque ea ſola intelligere quæ cum materia ſunt coniuncta. Si quidem plurimæ à materia ſeparatæ ſunt, quarum numerum prius in Metaphyſicis colligimus, eodémque loco confirmauimus ſubſtantias eiuſmodi, quia materia carent, perpetuas eſſe & interitus expertes: quæ ſuperiores intelligentiæ appellantur.

SCHOLIA.

1 Nempe quoniam vltima perfectio eſſentiæ, conſiſtit in obeundis actionibus manantibus à forma, quæ in corpore naturali ocioſa eſſe non poteſt. Atqui animus eas actiones ad quas potiſsimum datus eſt, nõ videtur poſſe edere ſine corpore organico: quemadmodum neque cæteræ formæ quæ purè naturales ſunt. Quo fit vt hæ ſuum corpus dicantur appetere, non vt ab hoc in eſſentia ſua, vlla ex parte perficiantur, ſed vt ab eodem capiant ſuarum functionum edendarum inſtrumenta. Sic enim à nobis alio loco obſeruatum eſt, in natura duo hæc principia, materiam inquam & formam, ſe viciſsim appetere, diuerſo tamen appetitionis modo.

2 Intellectus noster ea parte quæ cum corpore nonnihil communicat, formas naturales contemplatur, quæ cum materia cohærent, ducto initio à corporeis sensibus, quorum auxilio notiones vniuersæ de visis excitantur, quemadmodum dictum est lib. 3. de animo. At idem, parte altera, vel facultate nobiliore, supra naturalia omnia erigitur & per medias Mathematicas abstractiones, ad formas diuinas & Metaphysicas ascendit, quarum nulla omnino imago in rebus corporeis & sensilibus percipitur: nisi quatenus in his tanquam in effectis, illarum efficientia relucet. Locus verò quem paulo post citat ex Metaphysicis, repetendus est ex lib. 11. In quo ex varietate cælestium conuersionum, numerus intelligentiarum ipsis orbibus assidentium, colligitur.

Accuratius confirmatur quod erat propositum capite superiore, intellectum humanum, etiam in vita hac, contemplari formas à materia & sensilibus qualitatibus separatas. Cap. 8.

Idem quoque amplius ex eo apparet, quod si solus primus opifex à materia separatus sit, animúsque eum solum eiusmodi esse cognoscat, efficitur hunc dei cognitionem habere, quæ certè per corporeum instrumentum parari non potuit. 1 *Ad hæc contemplatio qua animus se ipse intuetur, in corporeo instrumento non est posita: quoniam eius substantia neque corporea est, neque vllo sensu percipi potest. Id verò solum corporeo instrumento percipitur, quod in sensum cadit. Qua ratione efficitur animum nō in omnibus rebus exquirendis corporeo instrumento indigere. Hæc autē operatio quæ nullo instrumēto indiget, eidem propria est. Adde quod animus formas à materia abstrahendo, detegit, easdémque detectas in essentia sua attingit. Quare eius substantia quæ formas eiusmodi attingit, à materia repurgata est, neque in sensum potest cadere.* 2 *Animus igitur primo contemplatur ipsas rerum essentias puras, sine instrumento materiato: deinde principia componit, ex iísque connexis progreditur ad formas antea incognitas, vt pote quæ in sensum non cadunt, easdémque speculatur sine vsu vllius instrumēti corporei.*

rei. Quod munus illi proprium est, & pro eiusdem conditione nobilissimum: nec ex obiecto repugnantiam ullam habet. Quare animus tam eas formas quæ cum materia coniunctæ sunt, quàm quæ ab eadem separatæ, sine instrumento corporeo considerat: sed posteriores multo magis, ut pote quas simpliciores magísque abstractas intelligit. Et certè quãquam animus sit expers materiæ, tamen etiam intelligendo attingit formam cum materia coniunctam: alioqui omnino contrarius esset sensui, à quo tamen primo in considerationem singulorum deducitur, deinde supra sensum ad uniuersa excitatur. Vt hunc hominem percipiens, ad hominẽ absolutè assurgit, iudicátque omnem hominem esse animal, hoc uniuersum de quouis intelligens, præsente, præterito atque futuro. Neque verò istud sensu perficitur: quoniam sola præsentia percipit atque singula, sed pertinet ad facultatem superiorem, quæ est ipsius intellectus. 3 *Qui solus absolutè comprehendit uniuersa, ad quæ proficiscitur excitatus à sensibus, quorum beneficio qualitates cum materia coniunctas considerat. Atque quanquam singulum & uniuersum, duo quodã modo sint, unus tamen animus utrumq; horũ considerat, singulũ quidem sensu, uniuersum autem intellectu, huius formã cõprehendẽs nõ hoc ipso quod in materia est, aut ex materia (quod quidẽ sensus facit,) sed repurgatum ab omni cõditione materiæ cohærẽteq; ultra essentiam. Verbi gratia, informatione mentis cõcipit lineam sine qualitate corporea, colorémque sine figura, abstrahendo unum ab altero, id est unum horum sine altero intelligendo.*

SCHOLIA.

1 Pertinet ad hunc locum quod Aristoteles argumentatur lib. 3. de animo solas

eas formas posse & intelligi & intelligere, quæ sua essentia omnino sunt à materia separatæ: cæteras autem quæ cum materia necessario communicant, intelligi quidem posse, non item intelligere. At intellectum non solum communem, sed eum qui in nobis est, quique insitus nostram essentiam perficit, certum est non solum intelligi, sed etiam intelligere, quoniam se ipse intelligit. Ex quibus efficitur eundem non solum à corpore suo separabilem esse, sed etiam separatū: id est etiam cum in corpore est, seruare suam essentiam nullo modo corpori addictam.
2 Hæc formarum, quæ quanquam in materia sint, ab hac tamen cogitatione abstrahuntur, essentia, apud Platonicos in idea consistit. Ad cuius cognitionem viam parari per abstractionem, abunde docuimus cõtra Thessalum methodicum nostris prælectionibus in Sphæram. Rectè verò & Platonicè hoc loco dictum est formas has in sua essentia ab intellectu humano tantum attingi, non plenè comprehendi. Quia idearum plena contemplatione, in vita hac non fruitur. Quare à Platone dictum est nos circa illas similes esse hominibus somniantibus.
3 Idem Aristoteles docuit initio Metaphys. & cap. 24. lib. 1. Analyt. post. itémque apertius, cap. vltimo lib. 2. Ex quibus semper apparet quod alio loco pluribus disputauimus, in huius doctrina intellectum humanum tabulam esse nudam, in qua nullæ intelligibiles formæ sunt ingenitæ, sed omnes efformationis initium capiunt ab obseruatione per sensum.

Communis intellectus cum eo qui singulis hominibus proprius, in functione muneris comparatur: & ex diuisione formarum intelligibilium iterum confirmatur, intellectum nostrum in proprio munere, instrumento corporeo non indigere. Cap. 9.

Superioribus igitur rationibus effectum est, animum ad intelligendum, corporeo instrumento nihil indigere. 1 *Quoniam ipse sibi, vi suæ essentiæ, in eo munere satis est. Atque etiam dictum, quo modo intellectus is qui singulis proprius, iudicãdo similis efficiatur communi intellectui, qui, vt multo ante expositum est, insitas habet formas, omnia in se continentes: ideóque externo auxilio nullo indiget, sed solam essentiam suam contemplatur, & in hanc influentem ipsum opificem. Sic quóque intellectus is qui singulis est proprius, cum eorum quæ sunt, formas attigit à materia repurgatas, externo adiumento nihil amplius indiget, sed ipse sibi satis est ad obeundam functionem.* 2 *Quodquidem vt apertius sit, intelligendum est de rebus quasdam esse omnino cum ma-*

teria coniunctas, quales sunt quæ per materiam simul sumptam ab intellectu definiuntur. Vt simitas, quæ secundum essentiam à naso non separatur, definitúrque depressio seu cauitas in extremitate nasi. Eodemque modo par & impar, per numerum definiuntur: cæteráque similia, quæ intellectus non contemplatur sine proprio subiecto, quod in definitione vsurpatur. Res verò alias esse sine materia: hásque rursum duplices. Quædam enim neque essentiam habent ex materia pendentem, neque cum illa cohærent. In quibus sunt primus opifex atque spiritus qui omnino à materia sunt separati, neque vlla ratione huius participes. Aliæ verò, sunt quidem secundum essentiam à materia separatæ, sine hac tamen non possunt existere: in quarum definitionibus subiectum non vsurpatur: sed eas intellectus sine hoc contemplatur. Ideóque res eiusmodi vniuersæ appellantur, vt verbi gratia soliditas, extremitas, linea, punctum numerúsque qui absolutè dicitur. Quanquam enim quæ sub iis sunt, res singulæ, cum materia coniunctæ sint, quando tamen vniuersæ intelliguntur, ab illa separantur. Quæ cum ita se habeant, fieri potest vt intellectus contemplans, ea quæ à materia sunt abstracta, sine corporis instrumento materiato attingat. Iamque confirmatum est duas esse proprias functiones ad quas obeundas illo non vtitur. Quod autem est eiusmodi, idem quóque positum est interitus expers esse. Atque iis satis abunde antea respondimus qui animum corporeum esse arbitrantur: nunc verò iterum dicamus, futurum vt animus, si corporeus sit, instrumento corporeo indigeat. Quare si hoc non indiget. neque certe corporeus est: retróque commeando, si corporeus non est, corporeo instrumento non eget. Quoniam id omne

caducum est quod in agendo corporeum instrumentum desiderat. Quod verò minime caducum est, ad obeundam actionem tali instrumento non indiget.

SCHOLIA.

1 In quęstione de immortalitate animi nostri, totus est author hic in probanda assumptione ratiocinationis eius qua potissimum, vel potius sola, Aristoteles in Physiologia ad eiusdem confirmationem vti solet: nempe quod eius propria functio in intelligendo posita, organico corpore nihil indigeat: sed eo potius impediatur, quam adiuuetur. In quo cum idem intellectum communem ab eo distinguit qui singulis nobis est proprius, manifeste indicat vtrúmque immortalem esse etiam si vtérque non eodem modo se habeat ad intelligibiles rerum notiones neque verò ad ipsum intelligendi munus. Quoniam communis intellectus propter ingenitas notiones, neque in ipso intelligendi initio, neque in huius numeris perfectione, quicquam cum corpore communicat: noster verò in ipso initio, cum notiones ex visis excitādæ sunt, corpore nonnihil indiget, sed postquam abstrahēdo supra visa rerúmque sensibilium imagines excitatus est, ideásq; quadam ex parte attigit, tum corpore impeditur potius quàm vlla in re adiuuatur. Quæ duo à nobis obseruata sunt ad conciliationem sententiæ in Arist. distincta, commentario in lib. 4. prioris partis descriptionis physicæ.

2 Eiusmodi sunt proprietates, quæ quia per se insunt, secundo modo, per ea ipsa quibus insunt, definiūtur, vt Aristoteles docet cap. 4. lib. 1. Analyt. post. imo & accidentia communia, vt docetur in Metaphysicis, per relationem quandam ad substantiam solent explicari. Quoniam per hanc sunt & in rerum naturam cadunt. Vnde logica quęstio existit, an proprietates à substantiis suis cogitatione possint separari: de qua à nobis quædam obseruata sunt scholiis in Porphirij institutionem.

Ex intelligendi numere, rursum concludit, animum nostrum quanquam in corpore sit, corporeum tamen dici non posse.

Cap. 10.

1 *Amplius etiam ratio altera occurrit ad docendum animum ratiocinandi vi præditum, corporeum esse non posse. Quoniam si omnino intelligendo esset eiusmodi, is certe aut per pauciores sui partes, aut per plures, aut verò per omnes intelligeret. Atqui si per plures, aut per pauciores intelligat, reliquæ in ignoratione, erunt ociosæ. Si verò dicamus eum per omnes partes intelligere, non autem altero ex iis modis qui iam sunt expositi, necessarium erit qualibet parte idem*

intelligi quod altera: ex eóque consequetur (quod quidem falsum est) animum vnum, rem eandem sepius intelligere idque in infinitum progrediendo. Ad hæc quo modo animus partibus omnibus indigebit ad intelligendum. Quoniam si de corporis cognitione agitur, hæc non nisi per contactum percipitur. Quare erit necesse solam partem animi extremam, quæ rem contingit, intelligere: reliquas quæ rem non tangunt, non intelligere. Si verò quis illud dicere mallit, animum perfectionem esse quæ per pluresſui partes cognoscit, falsum quoque id esse contendemus. Quia quod vnum cognoscitur, id per plures partes cognosci non potest. Præsertim cum diuersæ facultates in cognitionem incumbentes, res suis essentiis diuersas cognoscant, vt tactus & aspectus. In quibus quod vnius obiectum est, idem ab obiecto alterius est diuersum. Ac tactus quidem plura diuersáque percipit, in obiectum genus cadentia, itémque aspectus, sed sub vna eadémque propria ratione sentiendi. Amplius si animus per contactum partium quarundam dicatur intelligere, is minorem corporis partem contingens, eam non intelliget, cum illam magnitudine superet. Si verò maiorem contingat, nihilo magis hanc intelliget: quippe cum minor sit. Eáque ratione neutram poterit comprehendere. Hoc autem ex eo falsum apparet quòd animus pari facultate maiorem minorémque rem potest percipere. Ex quibus concludendum est animum corpus non esse. Cuius quidem opinionis assertoribus, rationibus quamplurimis euidentibus, satis abunde restitimus in nostro opere de animo.

SCHOLIA.

1 Iisdem rationibus & aliis pluribus Aristoteles cap. 3. lib. 1. de animo, ostendit mentem aut eam quæ in nobis ratiocinatur & intelligit, aut quæ cælum conuer-

tit, non posse poni in genere quantorũ continuatorum:sed vel partium omnino expertem esse vel non ita continuatam vt aliqua magnitudo sit. Quoniam munus intelligendi non potest vllo modo magnitudini conuenire.

2 Atqui ne sensus quidem ipse res obiectas per contactum percipit. Multo igitur minus intellectus. De sensu vero hoc declaratum est lib.2. de animo, eum interiorem, quem communem appellamus, imagines de corporibus excitatas & partim in externo medio, partim in instrumento, repurgatas & diuino quodam modo à corporibus separatas, in se recipere, non rerum corporearum & sensibilium substantias. Vt enim Arist. ait lib.3. de animo, in intellectu non esse lapidem, sed lapidis notionem: sic verè dici potest in interiore sensu non esse substantias singulares & corporeas rerum sensibilium, sed earum imagines diuino & inexplicabili quodam modo de illis excitatas. In quo ipsius sensus diuinitatem quandam apparere, obseruauimus Commentario in lib.4. prioris nostræ descriptionis physicæ.

Nouæ adhuc rationes colliguntur ad confirmandum eam animi partem qua constamus, nullo modo corpus dici posse. Cap. 11.

1 *Si quis vero adhuc obstinatè contendat animum rationis & intelligentiæ participem, futurũ interitui obnoxium, quia corpus quoddam est omnium tenuissimum, attentius id considerandum erit, atque imprimis inuestigandum, vtrum omnino animus corpus sit. Et quãquam de eo antea quæsitum sit: nunc tamen nouis rationibus idem est confirmãdum. Animus, si corpus est, procul dubio compositus quoque est & natura continuata constans. Cum omne corpus, vere sit eiusmodi. Si vero compositus est & de genere continuorum, dubium esse non potest quin idem dissolubilis sit atque diuiduus. Qui quantũuis tenuis esset, eiusmodi tamẽ dissolutionem videremus: quã quidẽ cõcedere esset necesse. Atque quẽadmodũ vita 2 quæ ab animo est, hoc ipso quod animus est, ab eodem non potest separari: sic si animus corpus esset, hoc ipso quod corp⁹ est, vita à nullo corpore posset separari. Hoc autẽ falsum esse ex eo intelligitur, quod de corporibus quædã sunt quibus secundum naturam vita inest, ita vt ab eis sepa-*

rari non poßit: alia vero minimè ſunt eiuſmodi. Porro corpus omne aut infinita compoſitione conſtat ex aliis corporibus, de quibus alia aliis infinito quodam ordine ſuccedant, aliáque ſub aliis contineantur. Quod autem eſſet eiuſmodi id quia indefinitum, in cognitionem noſtram non caderet. Atqui experimur animum & definitum eſſe & in cognitionem cadere. Ex quo efficitur illum corpus eiuſmodi eſſe non poſſe. Aut vero corpus finita compoſitione conſtat, vt in hac perueniri ſit neceſſe ad vnum primum, ſimpléxque, quo nullum aliud corpus prius ſit, aut ſimplicius. Quod certè ita eſt. Quandoquidem elementa ponimus, Ignem, Aërem, Aquam & Terram: nec vlla ratione cogimur in corporum compoſitorum diſſolutione, in infinitum abire. Atqui abſurdum etiam eſt animum in horum corporum ſimplicium genere, ponere. Quoniam ſi eſſet eiuſmodi, vitam quoque perennem haberet, eandémque naturalẽ & quæ ſeparari nullo modo poſſet. Quare apud eos qui in illa opinione eſſent, neque ſimplex foret, neque in mixtorum corporum compoſitione locum habere poſſet. 3 Atque quãquam nonnullis elementa animum habere videantur, hic tamen illis aduentitius eſt & alienus: cúmque eadem viua ſint, vita tamen illis accidit, non à natura eſt inſita. Alioqui nullam commutationem ſubire poſſent, quemadmodum neque corpora cæleſtia viuentia: quæ à nullo alio corpore animum accipiunt, ſed hic ab illis in alia influit. Si vero aduerſarij amplius cõtendant præter corpora ſimplicia à nobis poſita, alia quædam eſſe, hoc vt falſum intelligatur abunde ſatis videntur efficere demonſtrationes, 4 quibus ad eam rem vſi ſumus libro de cælo.

SCHOLIA.

1 Si apud omnes constaret opus hoc esse Aristotelis, valeret locus hic ad euertendam eorum opinionem qui apud hunc, etiam mentem, suo quodam corpore astreo& cœlesti constare volunt, ad idque confirmandum abutuntur loco alio ex cap.3.lib.2.de animalium ortu. Qui error ex eo proficiscitur quod eius naturam non possunt sine aliquo corpore, sua cogitatione comprehendere. Quo modo cœlestes intelligentias & Angelos spiritus solemus appellare, illis attribuentes corpus quod omnium subtilissimum & tenuissimum arbitramur.

2 Hoc argumento, inter alia multa, Plato colligit animi immortalitatem, quod animo vita per se sit insita, aut animus vitæ causa sit efficiens per se & continens. Quod verò ita se habet ad alterum, id ab eo separari non potest: sicut docetur in Analyt. posterioribus. At res non eodem modo se habere videtur in comparatione animi cum corpore. Quoniam hi contra quos disputatur neque concedunt animo corpus hoc modo per se inesse, neque contra, corpori animum: sed tantum animi naturam esse quandam corpoream: vel animo inesse vt corpus quoddam sit, sicut homini vt sit animal quoddam. Atqui quanquam ratio homini per se insit hæcque ab illo non possit separari, & homo animal quoddam sit, nõ est tamen necesse animali per se eandem rationem inesse.

3 Animo enim vniuersi qui per omnia fusus est, non suo, elementa secundum Platonicos animata sunt. Quia partes sunt principes magni animalis, id est mundi: quas singulas actu, nõ, suo sed totius oportet esse animatas. Talia verò sunt ea quibus vita aliunde aduenire hoc loco dicitur. Sic Arist. scribit cap. vltimo lib.1. de animo, nonnullos existimauisse animum per vniuersum esse fusum. Hincque Thaletem fortasse existimauisse omnia deorum esse plena. Hoc autem, inquit, quibusdam quęstionibus inuolutum est, Cur enim animus si in aëre sit & in igne, non faciat animalia, in mixtis autem facit? Cum pręsertim in iis præstantior esse videatur? Nam hoc etiam quęri potest quamobrem animus is qui in aëre est, eo sit melior & magis æternus qui est in animantibus. Vtrinque autem & error incidit & quiddam absurdum. Nam & asserere animal esse ignem, aut aëtē magnus est error, & negare animalia esse, cum insit animus, absurdum. Et cætetea, quæ eodem loco dicuntur ad hunc illusttandum pertinentia. De quibus vide Galenũ in fragmento libri de substantia natualium facultatum.

4 Ex obseruatione trium differentiarum primarum & simplicium in motu secundum locum, conclusum est ab Arist.cap.2.lib.1.de cœlo, quinque esse tantum corpora prima atque simplicia, quæ sola talibus motibus primo moueantur: reliqua autem propter hæc & quatenus eisdem participant.

Quæritur quo modo ex simplicibus corporibus mixtum oriatur, & vtrum ex illis inanimatis, hoc animatum & sensus particeps possit existere. Cap. 12.

1 *Si quis contra id quod modo concessum videtur, elementa scilicet animum habere, contendat in corporibus simplicibus, vt secreta sunt, animum non inesse, sed ea tum demum viuere animatáque esse cum in mixtione certo modo temperata sunt,*

rata sunt, illud nos eo euerti arbitramur, quòd si ita esset, mixtio certa ratione facta, in mixto vitæ causa existeret, atque corpora suapte natura animi expertia, corporis animati partes essent: Quodquidem corporibus compositis non potest conuenire. Quare simplicia omnia animata sunt & viuunt. Ex quo consequitur nullum corpus esse mixtum quod non eadem ratione sit etiam animatum. Huius autem rei causa in eo versatur, quod ipsum Verbum animos procreans, idem quoque corpora ex materia conformauit: sicut & antea materiam ex nihilo. Verbum verò eiusmodi, in mundo hoc non agit, nisi cum ipso intellectu agente & animo. Qui materiam informans, elementa innouauit: ipsúmque verbũ per eundem animũ secundum naturam agit. Ex quibus efficitur nullũ omnino corpus esse, neque simplex neque cõpositum, quod non hac ratione animi vitæque sit particeps. Amplius quoque si quis hoc adiiciat elementa non eo modo qui dictus est, animata esse, sed propter vnionem compositionémque corporum indiuiduorum: hoc non modo falsum esse dicemus, sed in iis quoque esse, quæ fieri nullo modo possunt. Quoniam omnia eiusmodi corpora indiuidua, qualia ab huius sententiæ authoribus sunt posita, vnius & eiusdem rationis sunt: hoc ipso scilicet, quod nullum eorum sensus particeps est, aut patibile. Si verò talia sunt, qui fieri potest vt vniantur & aliud quiddam componant? Quandoquidem totius ex partibus compositio harúmque vnio per mutuam commutationem corporum diuiduorum efficitur. Quibus omnibus illud quoque adiicimus, ex vnione corporum indiuiduorum nullum corpus posse existere. Quoniam ex indiuiduis nullum diuiduum constituitur.

SCHOLIA.

1 Galenus lib. 1. de elementis, docet ex elementis quæ secundum qualitates non transmutantur, oriri res eiusdem generis, id est patibiles quidem, non tamen sentientes. Ex eisdem autem transmutatis, nonnunquam ea existere quæ ab ipsis elementis toto genere differunt, vt plantas & animalia. Quæ non solum, vt elementa, patibile corpus habent, sed vitæ & sensus particeps: cum in ipsis elementis neque vita sit, neque sensus. Quomodo etiam Aristoteles in vniuersa physiologia eadem elementa semper vsurpat pro corporibus simplicibus vita & sensu carentibus. Quod verò hic aliter illis vita & sensus tribuitur, in eo nullam esse opinionum contrarietatem, sed modum scribendi diuersum de re eadem, à Galeno obseruatum est in Platone, fragmento libri de substantia naturalium facultatum.

2 Hæc sententia fuit Anaxagoræ, Democriti & Leucippi de corporibus similaribus indiuiduis, aut specie aut figura differentibus, ex quibus tanquam ex primis principiis illi omnia componunt. In quo ab Aristotele locis variis reprehensi sunt, sed maximè libris duobus de ortu & interitu. In qua disputatione frequenter pro rato illud vsurpat, Ex non quantis & minime diuiduis, tanquam ex partibus, non posse componi quod quantum est atque diuiduum. Quo axiomate Platonis indiuiduas magnitudines & horum triū indiuidua corpuscula euertit.

Nouis rationibus colligitur animum corporis animanti Formam esse, non corpus: tantóque illum corpore præstantiorem, quanto forma, sua materia nobilior est atque diuinior. Cap. 13.

Hoc quoque asserimus corpus omne, etiam quod simplex esse dicitur, ex materia & forma constare. Nec verò hoc à materia vitā habet, quoniam materia qualitas non est, ideóque reliquum vt illam à forma habere dicatur. Quod certe rationi maxime consentaneum videtur. Quandoquidem corpus per formam hoc aliquid efficitur & in certum ordinem adducitur, quod etiam rei animatæ, animus præstat. Quæ cum ita sint, qualis tandem erit hæc animi essentia? Quam si quis formam esse dixerit, sapienter sane & secundum rationem pars compositi non ipsum compositum esse dicetur. Quare neque corpus erit: quod tamen nonnullis (vt superiore sermone dictum est) videbatur. 1 Qui vero in contraria sunt opinione, si obiiciant nos experiri simile non

nisi simili cognosci, animum autem corpora cognoscere: ex eóque concludant hunc corpus esse, tenue certe, & mixtionis expers, compositum tamen: nos vt intelligatur rationem hanc nullam vim habere, dicimus cognitionem omnem à quodam agente proficisci & sensum quemlibet atque disciplinam, paßionem quandam esse. Atqui simile à simili non patitur (nec enim albedo ab alia albedine patitur, sed à dissimili, vt à nigrore, aut à colore alterius speciei) neque sensus reipsa sentiendo similis efficitur ei quod sentitur: alioqui oculus candorem videndo, candidus efficeretur. Quare sentiens atque sciens à similibus non patientur, sed à rebus ipsis perfectionem recipient. Nec erit necesse animum quia corpora cognoscit, corpus quoddam existere. Amplius etiam ei rationi propter quàm nonnulli arbitrantur eum corpus esse oportere, quòd ex corporum indiuiduorum permixtione oriatur, opponimus eum neque ex corporibus permixtis, tanquam ex partibus oriri, neque ab ipsa permixtione, vt ab agente causa existere, 2 sed tantum simul cum permixtione ab externo opifice emanare. Eo etiam errant qui animum corpus esse dicũt quod eum ignobilem faciunt, qui suapte natura nobilis est. Præsertim cum qualitas essentiæ forma sit: corpus autem quodam modo pro materia. Atqui forma eiusmodi dignitate superat materiam, quæ accrescere potest & decrescere dissoluíque & immutari. Forma autem essentiæ eadem permanet, mutationis omnis expers ab eo tempore quo in materia cæpit apparere, vsque ad finem. 3 Et illam quoque rationem, quòd animus corpus sit, quia corpora cognoscat, sic in eiusdem authores conuertimus. Quoniam si is per communionem naturæ cum cor-

poribus, corpora cognosceret, corporum tantum cognoscendorum vim haberet aliáque omnia ignoraret. Atqui multo plura corporis expertia intelligit, iámque effectum est eum aliter corpora cognoscere quàm per communionem quæ cum eisdem intercedat. Amplius si animus corpus esset ex aliis corporibus compositum, quonam alio secundum naturam agente, ille eiusmodi compositionem esset adeptus? Neque enim fieri vllo modo potest, vt aliquid sui ipsius effectrix causa sit: alioqui etiam contingeret vnum & idem se ipso prius esse atque posterius: causámque effectricem corporis, aliam à corpore esse oportet. Qualis certe prima est omnium nobilissima. Nulla verò in mundo hoc, animo nobilior est. Itáque hic corporum efformator & moderator esse dicetur, non ipse corpus existet.

SCHOLIA.

1 Hoc veteribus Philosophis fuit controuersum. Si quidem simile simili cognosci Pythagoreis placuit: Heraclito autem dissimile dissimili, vt obseruatum est ab Alcinoo in institutione ad doctrinam Platonis cap. 12. Quare Plato Pythagoreos hac in parte sequutus, cum rerum omnium duo principia poneret idem & alterum, animum his duobus constare voluit: vt per hanc principiorum communicationem, omnia posset cognoscere. Aristoteles autem libris de animo, facultatem hanc ad omnia cognoscenda, non vult esse positam in vlla determinatione naturæ ipsius animi, sed in sola huius aptitudine ad omnes formas intelligibiles recipiendas. In qua materiæ primæ dicitur ab eodem respondere, & nouæ tabulæ, in qua nihil omnino depictum est.

2 Hic manifestè indicat animum nostrum quiddam esse superius mixtione eorum ex quibus corpus constat: etiam si mixtione ipsa vel expedita, vel impedita, ille in suis actionibus expeditior sit, vel nonnihil impediatur. Quod Galenus admiratus, dixit nescire se cur animus afficiatur & in suis functionibus patiatur cerebro supra modum calefacto, vel refrigerato, humectato vel resiccato. si aliud est à quatuor primarum qualitatum temperatione: sicut à nobis obseruatum est commentario in lib. 4. prioris nostræ descriptionis Physicæ. Pertinet etiam locus hic ad alteram quæstioné de formarum naturalium origine, vtrum de materiæ potestate excitentur, an verò extrinsecus in materiam præparatam influant: de qua à nobis disputatum est lib. 1. partis eiusdem. Ad quam rem vide quæ de mente extrinsecus adueniente scripta sunt ab Arist. cap. 3. lib. 2. de animalium ortu.

3 Acuta est rationis contrariæ inuersio. Nam si animus humanus per quandam similitudinem cum rebus ipsis, harum cognoscendarum facultate est prædicus, hunc cum incorporeis maiorem similitudinem habere oportebit, quàm cum corporeis. Quoniam hic plura cognoscit incorporea quàm corporea. Et vt animus belluæ qui corporea tantum cognoscit, magis cum corpore videtur communicare, sic contra, animus qui in maxima sui muneris excellentia, semper ad ea aspirat quæ corporis omnino sunt expertia, non poterit habere naturam corpoream.

Alia quæstio tractatur, quæ cum superiore coniuncta est, vtrum animus corporis figura sit, vel temperatio. Cap. 14.

1 *Cumque amplius à nonnullis dictum sit animum, corporis esse figuram, eo posito plures animos in eodem animali formari erit necesse. Quia hoc diuersis membris constat, quorum vnum quódque propriam figuram adeptum est, & ab alia differentem. Sique ipsa temperatio esse dicatur, idem quoque continget. Quoniam vnaquæque pars propria temperatione prædita est, & diuersa ab ea quæ in alteram partem cadit. Quod cum falsum sit, si quis vt eiusmodi incommodis occurrat, animum temperationem esse dicat, non partium singularum sed totius corporis, ad id erit consequens elanguescente aut deficiente corpore, animum quoque elanguescere, vel deficere oportere & ad errorem ignorantiámque reuerti: itémque viciβim retro commeando. Nos autem contra experimur labente vel elanguescente corpore, animum superstitiem manere & incolumem: imo hunc confirmari corpore eneruato & infirmiore facto. Qua etiam ratione videmus contingere vt senum animi perspicaciores sint & ad agendum paratiores: quorum tamen manifestum est corpora imbecilliora esse facta.*

SCHOLIA.

1 Valent rationes hæ potissimum contra Galenum, qui sua arte medica delectatus, in quæstione de animo, temperationi corporis nimium tribuit: in qua negari non potest earum omnium actionum, in quibus ille cum corpore communi-

cat, primatium esse instrumentum. At contra hanc temperationem aut inclinationē quam illa temperatio patit, multa sapientum animi conantur & perficiunt. Vt apparuit in Socrate qui natura bardus & libidinosus, animi cultura Philosophica consecutus est vt nihil minus esset quam id ipsum ad quod corporis temperatione ferebatur. Quo modo igitur animus corporis temperatio esse dicetur, cum ille corporis temperationem corrigat & in contrarium nonnunquam immutet? Adde quod principum partium in nostro corpore, vt cerebri, cordis & Hepatis, temperamenta plerumque sunt inter se contraria: in quibus non video quo modo vnus animus possit intelligi. Et summæ nobilissimæque animi actiones, quales sunt prudentiæ atque sapientiæ, tum in nobis maxime vigent cum florem ętatis excessimus, in quo incipit ipsa corporis temperatio declinare & languidior apparere. Vide quę contra eandem opinionem disputata sunt ab Arist. cap.4. lib.1. de animo.

Queritur an animus de materia profluatæ, nouísque rationibus confirmatur illum naturæ corporeæ non esse addictum. Cap. 15.

1 *Ponent autem fortasse nonnulli animum simulachrum esse quoddam de materia expressum. Hoc vero ex eo falsum intelligitur quod materia animi essentiam informare nullo modo potest, nec ab essentia materiæ animus ipse originem ducere. Et profecto qui asserit de materia animi substantiam profluere quam illa prius in se cōtinuerit, is simul etiam constituit omnia corpora secundum naturam esse animata: quod à ratione corporis atque materiæ est alienū. Quoniam hæc esse nequit, sine potestate ad recipiendam perfectionem alteram formæ propriam. Quæ quidem lumen est seu actus potestatis rei compositæ, ab vno compositionis gradu ad alterum translatæ. Rursum verò animus corpus non est. Quia hoc siue simplex sit, siue mixtum, firmum esse non potest, sed idem omne suapte natura dissolubile est in materiam, ex qua omnia componuntur, hoc ipso quod corpora sunt. Atque vt omnia corpora si animi essent expertia, interirent, in nihilum dissoluta: sic animus omnis deficeret si corpus esset tale, quale nonnulli sunt arbitrati. Adde quod hic non semp.r*

naturæ corporis aut materiæ obſequitur, imo eidem plerúmque aduerſatur & in contrarium nititur: manifeſtúmque eſt vno corpore intereunte, aliud procreari: forma ſcilicet altera ad materiam iterum conuerſa. Alioqui finem aliquãdo eſſet habitura ea quæ in ortu rerum perpetua eſt viciſſitudo. Animus igitur neque corpus eſt neque corporis ſimulachrum. Atque cum antea dictum ſit ipſius vniuerſi corpus eſſe vnum animatum, ſi animus quoque corporeus eſſe dicatur, orbis ipſe ſolo nomine animatus erit, reipſa verò animi expers. Quoniam eo poſito cum omne corpus diſſolubile ſit ob idq́ interitui obnoxium, animus quoque ſi naturæ ſit corporeæ, diſſolubilis erit & mortalis. Mundus itaque ipſo interitu finem aliquando eſt habiturus, ſicut & per ortum habuit aliquando principium. Hoc autem antea ſæpius eſt improbatum.

SCHOLIA.

1 Opinio quam hoc loco reprehendit, ad eos pertinet qui formas rerum de materiæ poteſtate volunt excitari. Quæ à nobis pluribus rationibus refutata eſt lib. 1. prioris noſtræ deſcriptionis phyſicæ. At verò etiam ſi ceteræ formæ naturales hoc ipſo fortaſſe de materia excitatæ videri poſſunt, quòd cum eadem in agendo neceſſario communicant: in ea tamen animi noſtri parte qua ratiocinamur & intelligimus, prorſus eſt improbabile. Quare nonnulli exiſtimauerunt de variis animi partibus vel facultatibus, eas quibus alimur & ſentimus, traduci ſimul cum parentum ſemine: tertiam verò quo ratiocinamur, minimè, ſed hanc extrinſecus aduenire. Ad cuius rei cõfirmationem abutuntur loco Ariſtotelis cap. 3. lib. 2. de animalium ortu.

2 Semper enim vnius rei interitus, alterius cuiuſdam ortus eſt: & contra, vnius rei ortus, alterius interitus. Adeo vt hæc duo ſemper re coniuncta ſint in ea mutatione quæ fit ſecundum ſubſtantiam: ratione verò diſtinguantur ex comparatione duorum extremorum inter quæ mutatio eiuſmodi conſiſtit, quemadmodum Ariſt. docuit libris de ortu & interitu.

Eorum etiam opinio euertitur qui animum corpore non quouis, ſed ſubtiliſſimo, conſtare voluerunt, quale eſt vel æthereum, vel igneum, vel æreum. Cap. 16.

1 *Enimuero quo tandem modo animus corpus eſſe poſſit*

cum quicquid est eiusmodi, siue crassum, siue tenue (vt exempli gratia, ignis, quo nullum corpus est subtilius, aut promptius permeans, post ignem verò aër) idem quoque sit dissolubile? Etenim ignis & aër quãquam corpora sint fluida & rara, composita tamen sunt: ideóque minimè consentaneum est vt animus alterum horum esse dicatur. Multo vero minus corpus erit aliud imperfectum & ignobile: quale est quod crassiore substãtia constat. Quoniam cum animus, corpus quodlibet dignitate antecedat, vt causa, multo magis superabit naturã eius corporis quod dẽsum est & crassũ. Amplius etiam cum in vniuersum corpus quodlibet siue densum sit, siue tenue, vnum sit, non quidem per se sed per animum (quo modo enim corpus per se vnum efficeretur, cum suapte natura sit dissolubile?) Futurúmque sit vt illud statim dissoluatur nisi ab animo vniatur, in ipsáque vnione contineatur: qua tandem ratione hic vnire continerévе poterit, si corpusculum est igneum vel aerëum? Præsertim cum hæc, sicut antea dictum est, dissolubilia sint: nec quod suapte natura vnum non est, alterum vnũ facere possit, aut in vnione continere. Aut quo modo ignis ipse, animus esse dicetur, cum is neque animi rationem habeat, neque vllam eius proprietatem? Neque verò mundus fortuito aut casu corporeus factus est, sed vi ipsius verbi, in quo inest spiritus intelligentiæ particeps: cuius natura inter ea quæ corporis expertia sunt, subtilissima est & summo imperio prædita. Atque animus mundi intelligibilis ab illo verbo vim exceptam cum mundo hoc communicat. Vtque corpora apud nos viuentia, quandiu animo fruuntur, firma sunt & constant, illo verò excedente, eadem statim intereunt: sic mundus corporeus, vi

præsentis

præſentis animi, conſtans permanet: ſi verò hic ab illo ſeparetur, idem quoque deſineret atque diſſolueretur. Quod verò ante corpus quodlibet ſiue ſimplex ſiue mixtum, animum quendam eſſe oporteat, teſtes hi quoque ſunt qui animo corpoream naturam attribuunt: in eo ab ipſa veritate coacti, quàm deinde peruertentes, animum eſſe dixerunt ſpiritum quendam igneum. Sed hoc illi adiectum voluerũt quod animaduerterent facultatem nobilem, qualis eſt animi, igne inferiorem eſſe non poſſe: quódque ſimul arbitrarentur eundem animum eſſe non poſſe ſine alio in quo conſiſteret. Itaque illis poſitis collegerunt animum ſpiritum eſſe igneum, ſiue flatum quendam aëreum. Quoniam quod eſt eiuſmodi, id vel omnium eſt ſubtiliſsimum, vel certe ſubtiliſsimo proximum. Sed authoribus huius opinionis, erat conſequens ad id quod primo loco confitebantur, dicere, corpus quidem ab eo conſeruari quo continetur: at illud animo contineri, non animum corpore, pérque animum corpus conſiſtere: quoniam ille corporis cauſa eſt. Cauſáque ipſa per ſe ſibi eſt ſatis, nec vt ſit, effectu indiget: ſed contra effectus cauſa, vt per hanc ſit atque conſiſtat.

SCHOLIA.

1 Democritus, ignem quendam & calorem animum eſſe dixit: Diogenes autem, aërem tenuiſsimum, ſicut Ariſt. obſeruauit lib. 1. de animo. Atque animum ab anima dictum Cicero arbitratur. 1. Tuſcul. Animam verò ſpiritum vel aërem nominari. Ex quo agere animam vel efflare.

2 Sic Ariſt. cap. vltimo lib. 1. de animo, ſcribit corpus ab animo potius quàm animum â corpore contineri: indéque accidere vt cum animus è corpore exiit hoc extinguatur cariéque conſumatur. Quare à Cicerone dictum eſt eundem ſui datum eſſe pro ſale, ne huius corpus putreſcat. Pertinet verò ad hunc locum Ariſtotelis quęſtio eodem capite. Quid ſit quod animum contineat ſi diſtinctis partibus conſtet, vnaque parte intelligere, alia appetere dicamur.

Quæritur num animus constet corporea natura cælesti & ætherea quatuor elementis puriore & diuiniore: deinde nouis adhuc rationibus confirmatur eius naturam nullo modo esse corpoream. Cap. 17.

1 *Alij etiam de animi natura interrogati, cum corpus esse respondissent, neque postea tueri possent eundem alicui de notis corporibus affinem esse, & tamen quod prius posuerant, vellent defendere: dixerunt illum corpus quidem esse, sed aliud ab iis quæ nobis nota sunt. Quale est quod in agendo potentissimum est, quódque illi spiritum nominauerunt. Qui à veritate quoque aberrauerunt. Quoniam spiritus ab animo alienus est, & cum varios spiritus ponamus, omnes tamen eos ab animo diuersos esse dicimus. Qui si forte nobis respondeant animum spiritum quidem esse, sed eum qui in potestate sit ad animũ alterum, inquiramus quænam hæc potestas sit, vtrum corpus quoddam, an verò qualitas in corpore. Si prius admittitur, consequens est, secundum eas rationes quæ antea collectæ sunt, animum non posse dici spiritum qui potestate sit eiusmodi. Si verò posterius retineatur, quoniam qualitas omnis alteri attribuitur, nec materia esse potest (præsertim cum omne attributum, sit in aliquo subiecto corpore) animus corporeæ naturæ esse non poterit. Idemque amplius noua hac ratione conformari potest. Omne corpus qualecúmque sit, siue crassum siue tenue, calidum est aut frigidum: humidum aut siccum: rarum aut densum: album aut nigrum, vel medio aliquo colore affectum. Si que corpus calidum est, calefacit tantum: si verò frigidum, tantum refrigerat. At sit fuerit leue, ea in quibus est, leuia reddit: si graue, grauia. Itemque si album sit, dealbat: si nigrum,*

nigro colore inficit. Nec vero frigidi est calefacere, aut calidi, refrigerare. Atque corpus omne secundum naturam ita comparatum est, ut hoc ipso quod corpus est, unicam actionem edat. Atqui animum experimur varias operationes exercere. Ex quo intelligimus huius essentiam à corporea esse diuersam. Idque certe propter rationes superiores nemo possit inficiari.

SCHOLIA.

1 Sententiam hanc Aristoteli videtur attribuere Cicero.1. Tusculana. Aristoteles quum quatuor nota illa genera, inquit Cicero, principiorum esset complexus, quintam quandam naturam censet esse è qua fit mens. Cogitare enim & prouidere & discere & docere & inuenire quid, & tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet vacans nomine, &c. Hoc enim quintum genus quod perpetuo motu in orbem mouetur eidem Aristoteli initio lib.1. Meteor. & ca.3.lib.2. de animalium ortu, est elementum astreum, siue stellarum: cuius particula aliqua constare humanam mentem nonnulli in Peripatetica doctrina existimauerunt. Idque non sine aliqua approbatione Platonicorum apud quos spiritus quidam æthereus, animi vehiculum esse dicitur, quoniã animi functiones in corpore vix possunt sine aliquo corpore intelligi. Nullũ autem omnino corpus est cum quo magis quam cum æthereo illæ videantur posse consentire.

2 Hoc in genere de quouis corpore pronunciatum, dubitationem habet: quodquidem in omnibus his corporibus inferioribus siue simplicibus siue mixtis, est verissimũ. Quoniã talia omnia per eiusmodi qualitates cõtrarias, sunt patibilia. Cœlũ autem vt suapte natura impatibile est, ita hatũ omniũ qualitatũ quæ in aliqua cõtrarietate spectãtur, omnino est expers. Nisi forte huic etiam insunt raritas & densitas. Quia secundum Arist.lib.2. de Cęlo, stella pars est eius orbis in quo est, densissima: Et initio lib.1. Meteor. Cælum puritate substantiæ & impuritaté maiore minoréve distinguitur, prout ad terram propius accedit, aut ab eadem longiore interuallo recedit. Quod quo modo intelligendũ sit, alio loco diximus.

Virtutes quo modo deo, intellectui agenti & animo humano insint aut à deo per medium intellectum agentem in animum humanum influant. Cap. 18.

1 *Quoniam animus in hoc orbe infimo multis virtutibus exornatur, mundus quoque intelligibilis earundem est particeps, rectitudinis scilicet atque iustitiæ. Etenim quoties-*

cumque volumus, virtutes eiuſmodi inquirimus. Ex quo manifeſtum eſt has alteri cuidam ſubſtantiæ ineſſe oportere. Alioqui cur animus id expeteret quod conſequi non poſſet? aut cur inquireret quod nunquam poſſet inuenire? aut deſideraret id quo iam ipſe frueretur? Cum autem illas alteri ineſſe oporteat, certè agenti intellectui vt ſuperiori & nobiliori inſunt. Quas animus ab illo ſuſcipit cum in eius contemplationem eſt intentus. At idem intellectus, auerſus ab animo qui ad ſenſum eſt demiſſus, illarum virtutum influxum reprimit: túmque accidit vt animus adhuc ſuperſtes, loco ſit abiecto atque humili. Intellectus verò hæc eadem ornamenta perpetua habet: quia à primi opificis contemplatione nunquam recedit: nec in hac vllas intermiſſiones habet, vt pote qui eiuſdem Verbo ſit proximus. Neque tãtum virtutes eiuſmodi ſemper huic inſunt, ſed in eodẽ ſummam perfectionem ſunt adeptæ. Nec quicquam eis deeſt cum à primario opifice nulla alia re interiecta proficiſcantur. Quas intellectus agens ab illo ſuſceptas, deinde in aliis exprimit, ſecundum eam rationem qua ſunt infuſæ. In primaria autem eſſentia, eædem virtutes perfectiorem ſpeciem ſunt adeptæ. Quoniam illa harum eſt effectrix. Nec illi inſunt 1 vt inſtrumento, ſed vt earum authori: neque vero inſunt vt alteri: imo neque ineſſe dicuntur, niſi quia ab hoc profluũt vt effectus, ídque ſine vlla intermiſſione.

SCHOLIA.

1 Per rectitudinem & iuſtitiam id ſignificat quod in vniuerſum virtutes omnes complectitur. Sic enim Platonici & Peripatetici generalis iuſtitiæ nomine vſi ſunt. Porro virtutes has vt exemplares & omni ex partè perfectas animus humanus aut habet à ſe, aut aliunde tanquam à fonte expetit. Si verò haberet à ſe, cur aliunde expeteret, quibus iam ipſe per ſe frueretur? Sin aliunde ſibi expetit, eas

primum relucere oportet in primo exemplari tanquam in fonte: nempe in mundo intelligibili: hinc influere in hominem per medium intellectum agentem, quandiu illius animus in huius contemplationem est intentus, & cum huius perfectione contemplando coniungitur.

2 Quæcumque enim in deo sunt, eadem sunt ipse deus: nec huic quicquam ita attribuitur, vt alia ratio sit ipsius attributi, alia eius cui attribuitur. Vt dei bonitas non aliud est quàm ipse deus. Etiam si attributa multa ex nostra loquendi cõsuetudine in eodem ratione quadam distinguantur: sicut à nobis obseruatum est in Alcinoo, cap. de Deo.

Ab animo humano ad Deum ascendimus : de quo quæritur quo modo se habeat ad motum & quietem, & qua ratione omnia quæ sunt, ab eodem suis gradibus distinguantur. Cap. 19.

1 *Author primus neque quiescit, neque defertur: quoniam superior est motu atque quiete, vt pote qui vtriusque horum sit effector. Ipse autem essentia est ex qua reliquæ essentiæ & dignitates in infinitum emanant, sine delatione tamen, aut vlla intermissione. Ideóque propriè omnem essentiam superat & excedit.* 2 *Inest quoque his omnibus quæ sunt, secundum cuiusque speciem atque naturam. Si quidem eorum essentiam informat, accommodatè ad singulorum conditionem. Nam intellectus agens nobiliorem essentiam ab illo recipit quàm animus rationis particeps: hic quoque quàm cælestes orbes: & hi, quàm corpora quæ variis mutationibus sunt obnoxia. Quanto enim id quod procreatum est longiore interuallo ab illo erit seiunctum, & per plura intermedia, tanto ignobiliorem essentiam sortietur. Enimuero primarius hic opifex, in essentia omnino immotus est, nec propriè perpetuus esse dicitur, sicut nec tempore, aut loco vllo circumscriptus. Imo ab illo sunt perpetuitas, locus & tempus, eiusdémque beneficio permanent. Et sicut centrum circuli in se ipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum ipséque ambitus, cum punctis, in eodem centro existunt: sic*

quoque naturæ omnes tam quæ ad intellectum, quàm quæ ad sensum pertinent, in agente primo consistunt & confirmantur, ab eóque pendent, quod etiam appetunt & ad quod referuntur. Ad idémque nos reuocamur, sicut lineæ ab ambitu ad centrum. Si quis vero inquirat quo modo ea quæ sunt, in primo opifice permanere dicantur, cum forma in materia permaneat, itémque contra materia in sua forma & affectio in subiecta substantia: dicemus aliquid in altero duobus modis permanere. Vno quidem qui pertinet ad ea quæ nunc proposita sunt, vt ad formam in materia, affectionem in subiecto & subiectum in forma naturali. Altero vero vt in agente, verbi gratia lux in lucente, & radius in eo à quo emanat: & denique quodlibet essentia simplex, in efficiente. Quare intellectus agens in primo opifice permanet, & in eodem animus rationis particeps per medium intellectum. Humani autem animi pars ea in qua est sentiendi principium, primo in corpore permanet: deinde in intellectu agente per medium eum intellectum qui potestatis est. Animus quoque rationis particeps ius suum habet in animum alentem, sicut & in alias naturas.

SCHOLIA.

1 Aristoteles lib. 8. Physic. demonstrat primum hunc opificem & moderatorem naturę vniuersæ, immotum mouere omnia: ne in caussis mouentibus progressio fit in infinitum. Hic vero subtilius ostendit etiam si is non moueatur, non tamen proprie quiescere. Quoniã id solum propriè quiescit, quod suapte natura aptum est ad motum.

2 Hinc nata questio Logica & Metaphysica, An Deus hic essentiarum omnium opifex & moderator, Categoria substantiæ debeat includi. Quæ vero subiiciuntur cũ eo consentiunt quod scribit Alcinous cap. 9. Deum in procreando omnia se ipso compleuisse, pro cuiusque capacitate. Quia scilicet in iis omnibus quæ sunt, particula quædam est diuinitatis, neque tamen ea pars in omnibus, sed ad cuiusque naturam accommodata.

Causa redditur propter quam animo nostro difficilis diuinorum & incorporeorum cognitio: nempe quod sensibus corporeis nimium addictus sit. Cap. 20.

Si quis autem inquirat qualis futura sit postrema naturæ humanæ conditio, cum nos, sicut modo dictum est, ab animo id quod sumus habeamus, eius opificis beneficio in quo essentia est omnium prima: neque verò ab eodem primo opifice intellectúque agente & ab altero qui potestatis est, animo auerso sua virtus insit & dignitas, atque inter homines permulti existant qui quia virtutibus carent, easdem ignorant, auditásque negant vanas eas & commentitias arbitrantes: 1 Equidem hæc nostræ excellentiæ rerúmque aliarum ignorantia ex eo proficiscitur, quòd ad discendum solo sensu impellimur. Itaque res quæ propositæ sunt ad consequendam scientiam, explorantes, dicere solemus hanc nos experiri, illam verò minime. Neque cogitationem abstrahimus, sed ex ea disciplinam haurientes, quia nos omnia expertos esse arbitramur, id quódque dicere solemus nihil esse, quod sub sensum non cadit. Quare eisdem coacti, intellectum non ponimus neque agentem, neque eum qui potestatis est, neque opificem primum, neque alias eiusmodi essentias. Et si de rebus talibus in homine partus sit habitus persuasionis alicuius, eum sciētiam esse arbitratur: falso quidem, sed quia illa superiora cum sensu cōiungit sibíque affirmat, animum, intellectum agentem primúmque opificem corporea natura constare. Virtutes igitur ab animo conseruantur, hic ab intellectu agente, sicut & intellectus ipse ab essentia primaria, rerum omnium causa effectrice. Neque profectò animus corpus est, sed causa corporis: sicut neque intellectus agens,

neque ea eſſentia quæ inter omnes obtinet principatum. Et iam quidem veteres ipſi conſentaneis rationibus atque accommodatis probarunt neque animum, neque huius virtutes corpoream naturam habere: quoniam ſub ſenſum non cadunt. Quomodo enim hæc in corporibus haberentur cũ ad ſenſum declinantes, neque animum, neque huius virtutes percipiamus? Nos quidem certe nonnunquam à ſenſu reuocati & ad animum conuerſi, quædam cognoſcimus quæ nunquã ſenſu percepimus, verbi gratia, quorundã amicitiã, vel inimicitiã, ſed etiã ſi omnino in ſenſum incũbamus nunquã tamen eo animũ huiúſve virtutes comprehendemus: ſed tum demũ cum ſenſus ipſe iudicium omne ad animum retulerit, & animus ad intellectũ agentem. Neque verò vllo alio modo, ſenſu animum percipere poſſumus, quamuis illius aciem in hunc primum dirigamus. Quandoquidem animi facultas non ſentit niſi iudicium à ſenſu primo per medium animum, ad intellectum agentem relatum ſit, viciſſímque ab hoc ad animum & ab animo ad ſenſum qui hoc pro ſua facultate recipit. Defert enim intellectus agens iudicium ad animum: niſi forte hoc ad eam rem pertineat quæ ſuo ſplendore atque dignitate ipſum animum ſuperet. Ipſéque animus idem ſenſui præſtat, niſi res obiecta vim ſenſus excedat. Quoniam ſenſus per animum nihil cognoſcit, niſi illud ab intellectu agente præiudicatum ſit, qui animo eſt ſuperior.

SCHOLIA.

1 Oſtendit omnem animorum noſtrorum imperfectionem ſiue in cognitione rerum, ſiue actione, proficiſci à communicatione cum ſenſibus corporeis: vt non ſine cauſa a Poeta dictum ſit, Terreni hebetant artus moribundáque membra. Ex quo etiam apparet, rationem omnem eorundem perficiendorum, poſitam eſſe in abſtractione à ſenſibus & conuerſione ad ea quę ſunt omnino corporis experτia: ſicut

tia: ficut à nobis pluribus expofitum eft ex Platonicorum doctrina, commentario in Alcinoi inftitutionem, cap.1.

2 In hoc apparet animum in nobis muneris intelligendi participem, fenfu fuperiorem effe & præftantiorem. Et enim oculus fe ipfe non videt nifi forte in altero tanquam in fpeculo aut imagine. At animus fe ipfe intelligit, imo in fe ipfo intelligendo fumma perfectione fruitur. Atque hoc admirandæ eft prouidentiæ in natura, per quàm inferiora à fuperioribus perficiuntur: quòd fenfus fumma perfectio in homine rationis & intellectus iudicio accedente indiget, ficut in eodem ipfa ratio, lumine intellectus agentis dirigitur & perficitur.

Oftendit quo modo animus humanus præparandus fit ad fupremum contemplationis gradum, qui pertinet ad eas formas quæ quia à corpore omnino feparatæ funt, nulla ex parte in fenfum cadunt. Cap. 21.

Quicumque verò contemplari vult animum & intellectum agentem, effentiámque primam, vtriúfque effectricem, ficut & reliquorum omnium eorum quæ funt, is fenfus componat & ad naturam fuam reuerfus, in fe habitet & firmiſsimè confiftat: ficque ea percipiet quæ fenfus non poteft attingere. 1 Vt qui fuauem vocem percepturus eft, in hanc intentus, ab omnibus aliis fonis auditum auocat, in illáque conftantior, perfectius eandem fentit: fimilitérque reliqui fenfus in vna re obiecta occupati, fine errore hanc comprehendunt. Quare eum qui animum fentire vult intellectúmque & effentiam primam, fic neceffe eft fecluſo auditu externo, interiorem adhibere, qui ad intellectum pertinet. Quod cum ille faciet, fummum concentum percipiet, purum, illuftrem & admirandum: in eóque inexplebili voluptate perfruetur. Imo hæc in dies magis ac magis accrefcet, idémque in hac agnofcet concentum qui in fenfum cadit & cum corporibus eft coniunctus, illius fuperioris folam effe imaginem. Quo modo homo contemplatus fuperiores effentias nobiles & illius harmoniæ participes pro fua facultate, fimul

etiam discet supremum opificem omnia alia procreasse, quæ conformata sunt per imitationes eorum quæ hic in se habet omni ex parte absoluta: quæque postea primo intellectui inseruit, tanquam medio inter hunc ipsum & res procreatas. Eidémque dedit intelligentiæ communionem insignem ac perfectam, atque puram quidem, sed tamen figuratam & aliunde expressam. Atque amplius imitationes alias in animo contēplabitur, vt formas ad intelligentiam pertinentes, æmulásque illarum communium quæ cum intellectu agēte sunt procreatæ. 3 *Qua quidem ratione postquam homo animi essentiam cognouit, abstrahendo longius progressus, ascendit ad formam primi opificis, expertem omnis qualitatis sensum mouentis, terminatæque & illi vniuersæ insitæ. Quæ vna ex iis est quibus animus exornatur, eadémque radix formarum omniū abstractarum, ad spiritus tamen & corpora pertinentium. Itaque animus, sicut diximus, semper expetit vt intellectus agens infundat ea vniuersa quæ habet insita: hæc verò ab illo acccepta, idem animus in naturam immittit: sicque efficitur materiata forma mundi cælestis. Atque hæc rursus causa est formarum singularum cum materia coniunctarum, mundíque eius qui ortus & interitus est particeps. Quæ quidem minus illustres sunt & pulchræ: quoniam variè afficiuntur commutantúrque vi materiæ quæ in eisdem dominatur.* 4 *Cælestes verò effectrices, sunt clariores & nobiliores. Si quidem non dissoluuntur omninóque sunt immutabiles: quia materiæ omnino imperant eámque subiectam sibi firmißimam habent. Supra has essentiæ sunt quæ formas suscipiunt purißimas, clarißimas atque pulcherrimas, & quæ omnes alias in se conti-*

nent. 5 Illæque admirandæ quidem sunt & summæ, sed non possunt oratione exprimi, neque animo nostro per eam facultatem quæ cum imaginatione est coniuncta, comprehendi. Sunt enim causæ istarum formarum euidentium & in cogitationem cadentium, quæ apud nos existunt. Res autem vnaquæque in sua causa nobilior est quàm in effectu. Eadémque ratione formæ in animo clariores sunt & nobiliores quàm in corporibus cælestibus: quoniam à sua materia repurgatæ sunt, & illarum causæ existunt. Rursúsque formæ in intellectu agente communiores atque insitæ, præstantiores sunt quàm in animo, aut quàm in inferiore mundo: duabúsque de causis à nobis neque intelligentia, neque cogitatione possunt comprehendi. Quare animus noster, sicut antea dictum est, semper hoc appetit vt illæ ab intellectu agente influant, propter excellentiam essentiæ in eo apparentem quod procreatus est, vt expressa prima imago præditáque vi in ipsum animum influente. Eodem iure animus supra naturam est: quia ab intellectu agente virtutem influentem primam perpetuámque recipit, ac in cælestem mundum transmittit: quam deinde ad nos in hunc orbem ortui interituíque obnoxium Planetæ deferunt, suorum motuum varietate & interuallorum dißimilitudine atque quodam cum nostris corporibus suorum radiorum contactu. Horum enim lineæ, in terra quæ nobis ad habitationem est accommoda, diuersæ sunt, simul cum formis propriis, nobilibus & imprimendis imaginibus admirãdis. In quibus tanquam in fundamẽto communis virtutis refulgentis, consentiunt. Errantes vero stellæ à seinuicem & ab aliis differũt, in ea cõditione in qua aliæ terrenæ formæ non reperiuntur.

SCHOLIA.

1 Aristoteles sub finem lib. de sensu, huius rei causam reddit. Nempe quod vnus & idem reipsa animus sit qui per diuersas corporis partes organicas percipit omnem varietatem rerum sensilium. Ex quo accidit vt cum simul eodémque tempore, res differentes percipit, quasi in plures partes distractus sit, de singulis non possit accuratè iudicare. Pertinet etiam ad hunc locum quod nonnulli quo liberius philosophatentur & facilius animum in contemplationem erigerent, dicuntur se sua sponte non solum in solitudinem relegasse, sed aspectu orbasse.

2 Nempe per imitationes idearum, quæ ex Platonicorum sententia, sunt in primo opifice. Quoniam idem reuera primus est opifex rerum omniũ & idea idearũ: quia ille se ipse intuẽdo, singula procreauit & aliquid sui in materia per imitationem expressit. Idque per medium intellectum agentem, in quo primi opificis excellentia primo relucet, sicut ex superioribus colligi potest.

3 De his vide plura apud Plotinum lib. de triplici ascensu ad mundum intelligibilem: & quæ dicuntur ab Alcinoo cap. 9. de triplici ratione cognoscendi Deũ per abstractionem, per analogiam, per analysin.

4 Formas corporum cælestium & horum inferiorum eo distinguit quod quanquam vtræque cum materia coniunctæ sint, non tamen ad hanc se habeant eodem modo. Nam cælestia corpora materiam habent suæ formæ omnino obsequentem, hæc verò inferiora, eandem illi magna ex parte reluctantem. Ex quo est consequens inferiora hæc propter materiam dissolubilia esse & caduca: illa verò, æterna.

5 Illæ enim res solæ possunt à nobis cognosci per facultatem cum imaginatione coniunctam, quarum imago aliqua in ipsa phantasia imprimi potest. At hæc ex sensibus haurienda est. Formæ autem quæ supra cælestes sunt, nihil habenr quod in sensum cadat, aut per quod imaginationi possint repræsentari. Ideoque, vt Plato dicebat, non cognoscuntur à nobis discursu cogitationis cum imaginatione communicantis: sed solo intuitu mentis iam ad Deum conuersæ.

Formas harum rerum inferiorum quæ Lunæ concauo continentur, inesse docet & cælesti regioni & mundo intelligibili, sed huic modo meliore atque diuiniore. Cap. 22.

Sicut formæ terrenæ, sunt in orbe cælesti, sic & in supremo, vel etiam amplius, secundum rationem nobiliorem, pulchriorem & illustriorem, neque in hoc vllo modo commutabiles. Quoniam neque crassæ sunt neque turbulentæ, sed summæ puritatis, dignitatis ac luminis participes. Quãquam verò in eo vere propriéque existant, nemo tamen secundum perfectionem quam adeptæ sunt, eas intelligentia vel cogitatione complecti potest, nisi prout prius fuerint aliunde detectæ. 1 *Neque enim in vita hac propter mate-*

riam in nobis dominantem, ad eorum essentiam excitamur. Idque ex eo accidit quòd animus rationis particeps cum sentiente coniunctus est, sicut & hic cum alente, alens verò cum corpore commutabili, minimis qualitatibus abundante, eisdémque impuris & turbulentis. 2 At cum animus noster iis impedimentis repurgatus fuerit atque solutus, tum apte ascendet ad conditionem formarum illustrium: coniungetúrque cum animo & intellectu communi, qui prius in mundo hoc, ea cõtinente quæ oriuntur & intereunt, singula suscipiebat, quædam tamen magis, alia verò minus: quãquam ipsa communione minime omnino reiecta. 3 Quoniam hæc secundum essentiam animo humano, qui rationis est particeps, inest: per quam puer discernit honestum ab inhonesto, noxiúmque ab innoxio, quotiescunque de iis ratiocinatur. Sensu verò distinguit beneficum à malefico. Ex quibus iam apparet quod diximus, supremum opificem mũdum illum procreasse vt exemplar summæ suæ sapientiæ, administrationi & arti accommodum: eidémque formas imposuisse nobiliores his quæ cum sensu coniunctæ, illarum simulachra sunt & nobis quædam signa. Exornauit verò nos intellectu, in quo potestas est ad illas supremas formas: atque vbi animaduertit intellectum hunc formam esse animi sentientis, vt aspectum oculi, idem nobis dedit mixtum corpus inter cætera delectum, in quo animum collocauit ad constituendam vnam substantiam, in qua vis esset discernendi tam ea quæ sensus sunt, quàm quæ intelligentiæ. Bonum item à malo, per arbitrij libertatem & experientiam ac vtriusque explorationem. Nisi enim eiusmodi corpore homo esset præditus, aut nisi in eodem animus rationis par-

ticeps cum ſentiente eſſet coniunctus, ſine errore bonum à malo non diſcerneret: ſed ea vt audita referret, non vt explorata. Quare animus noſter vt corpori addictus ſenſibúſque quibus ſeruire cogitur, ea quæ ſunt in vtroque mundo cognoſcit, & eo ipſo perfectus præeſt rebus omnibus quæ mundo hoc continentur. A quo digreſſus, in ſuperiore veritatem contemplabitur, immortaliſque exiſtet, beatus, & ipſius orbis dominus. Quæ conditio animis humanis fælicitas magna eſt & abſoluta.

SCHOLIA.

1 Hoc de diuinis formis antea ſæpe dictum eſt, ad earum cognitionē animum noſtrum nō peruenire cogitationis diſcurſu, cuius initium ducitur à phantaſmate: ſed hunc de illis tantum aſſequi, quantum intellectus agentis lumine extrinſecus affluente, detegitur, detectumque menti noſtræ obiicitur. Idque eſt quod ex Platone antea vſurpauimus, diuina non doceri, ſed videri, ſublatis his impedimentis quæ ex corpore naſcuntur: aut nos circa illa ſimiles eſſe in vita hac hominibus ſomniantibus qui falſis rerum imaginibus pro rebus ipſis fruuntur.

2 Repurgatur verò variis gradibus contemplationis, quorum primus in phyſicis, ſecundus in mathematicis: poſtremus autem erit animi iam quodammodo corpore ſoluti, poſtremo ſummóque philoſophiæ munere: quod idcirco Plato ſtatuit in mortis meditatione, longe alia quam vulgarium hominum opinione receptum.

3 Videtur hoc loco intelligere notiones vniuerſas boni & honeſti nobis ſecundum Platonicos ingenitas: ad quas animus bene informatus ſolet ſe referre in deliberationibus ſingulis de bonis & honeſtis quę in actiones cadūt. De quibus ſic ſcriptum eſt ab Alcinoo cap. 4. Ex eo quod natura inſitam honeſti boníque notionem habemus, ratione vtentes noſque referentes ad illas naturales intelligentias, velut ad definitos quoſdam modos, hoc ne an illo modo ſe habeant ea quæ in deliberationem cadunt, diiudicamus.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 13.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Primum Ens cum vnicum sit & semper vnius modi, nunc quæritur vnde extiterit eorum quæ sunt, varietas. Cap. 1.

1 *ENS vnum & perfectum, aliorum omnium quæ procreata sunt, causa existit: neque vllo horum includitur: neque cuiquam est omnino simile. Causa tamen est eorum omnium quæ procreata sunt: quoniam ab eodem omnia ducunt originem. Ex eóque rerum essentiæ in illo confirmãtur, atque ad idem redeunt. Cuius essentia quoque est absoluta: quia causa est causarum omnium, & inter ea quæ procreata sunt, obtinet principatum. Si quis verò miretur quo modo ab hoc vno simplici varietatísque & multitudinis experte, rerum procreatarum varietas & multitudo potuerit existere, dicimus id eo contingere quod ens eiusmodi vnum & absolutum, res alias procreatas verè continet. Quoniam ipsum ab opifice procreatum est nulla alia re antecedente. Quare & illi proximum est primariúmque opificem intuetur: atque idcirco actionem habet eidem proximam. Itaque ab hoc vno ab-*

ſoluto omnes res aliæ procreatæ emanarunt: quoniam hæ non habent pari ratione eſſentiam abſolutam. Quæ omnia rurſus in pauca contrahentes, dicamus eorum quæ oriuntur multitudinem ab illo non exiſteré: niſi hoc ipſo quod omnia cognoſcit, vt ſuæ contemplationi propoſita. Quare & ab illo emanarunt, vt prius in eodem ſata. Opifex igitur, primarium ens, idem cum Verbo, ſibi proximam mentem ſiue intellectum agentem procreauit. Ab ipſa vero mente profluxerunt res omnes aliæ, tum in inſuperiore mundo, tum in inferiore procreatæ.

SCHOLIA.

1 Hoc ens vnum atque perfectum cui poteſtas procreandi data eſt, non debet aliud intelligi ab ipſo Verbo dei, vel ab intellectu agente. Quoniam deus pater apud Platonicos non tam vere dicitur ens vnum, quam ſupra ens. Et certè ad finem capitis huius concluditur hoc primarium ens idem eſſe cum ipſo Verbo, à quo intellectus agens proximè emanauit: & ſequente cap. idem explicat de intellectu agente. Eorum verò quæ ſunt, multitudo vel ſpectari poteſt in intelligibilibus, vel in ſenſilibus. Priore modo ad ideas pertinet: poſteriore ad partitionem materiæ quæ communicationem formæ excipit. De illa priore, de qua hoc loco agi videtur, vide librum Plotini, quo inquirit vnde idearum multitudo extiterit. Et librum alterum eiuſdem quo docet ens vnum idémque ſimul totum eſſe vbique.

Intellectus agentis comparatio explicatur cum primo opifice: vt intelligatur quo modo hic illo ſuperior ſit, & tamen quodam modo eidem æqualis. Cap. 2.

1 *Ens vnum & abſolutum, perfectum exiſtit atque purum, mundus autem qui in ſenſum cadit, imperfectus & impurus, vt pote qui ab illo originem duxit. Intellectus autem agens (qui idem eſt ipſum ens vnum & abſolutum) perfectus ac purus eſt. Quoniam ens vnum procreatum eſt ab ipſo ente vnico atque verò: quale eſt quod perfectione ſupremum. Quandoquidem hoc alio non indiget: cum ab hoc*

nihil

nihil omnino poßit consequi. Imo quia ipsum perfectißimum est sibíque omnino satis ac propter facultatem maiestatémque vnitatis, ab illo aliud de integro est procreatum. Quanquam autem eiusmodi ens, summam perfectionem adeptum (quia scilicet primarium est) perfectum aliud procreauerit, nempe intellectum agentem: fieri tamen nullo modo potest, vt quod ab illo procreatum, secundum est, illi primario sit omnino æquale. Quoniam quod procreatum est, semper ab opifice in aliquo deficit, neque cum illo in eodem perfectionis gradu potest consistere. In suo tamen ipsum quoque perfectum est, & aliud quod subsequitur, perficit. Quia Ens vnum verum quòd summè perfectum est, in hoc procreando se ipsum intuebatur, contemplationi propositam habens propriam essentiam, veram splendoréque abundantem. 2 Intellectus autem agens procreando intuetur primi opificis verbum proximum: sicut anima communis omnium formarum mater atque formatrix, intellectum agentem: & natura formarum singularum in materia effectrix, ipsam animam communem. Ens enim vnum idémque verùm, procreauit primo intellectum agentem, essentiam scilicet ipsi verbo proximam. Hicque intellectus ab illo agente primario, primò recipit: nec inter hunc & primarium opificem medium vllum est interiectum. Neque intellectus agens postea quicquam procreat, quin prius opificem suum intueatur. A quo definitam naturam capit vnusque efficitur vnitate ea quæ quanquam partibilis sit (quoniam abstrahi potest) non tamen in numerum cadit: sed quæ minime satis firma sit. Quia intellectus agens multitudinem rerum contemplatur, etiam earum quæ in sensum cadunt. Quales quoque

animus intuetur, cuius vnitas nondum est absoluta. Si quidem plura per abstractionem considerat. Ens aut quod verè vnum est, vnius tantum causa est. At quod numero vnum est, vt ternario impari vel binario pari, idem quoque est compositum. Quare ens vnum absolutum, animo superius esse diximus & dei opus eidem proximum. Atque eadem ratione intellectus huius contemplatio, eiusdem voluntas est atque essentia: ac propter affinitatem quàm cum deo obtinet, conformare aliud potest atque imperfectius. Ac propter istiusmodi conditionis inæqualitatem, multitudinem habet consequentem: cuius principium est in essentia entis vnius absoluti, & sicut dictum est, primo opifici proximi.

SCHOLIA.

1 Deus primus & summus vt cap. superiore indicauimus, potius est supra ens, quàm ens primum. Quare huius filius, nempe ipsum verbum, in quo & per quod omnia procreata sunt, hic rationem habet primi entis, ab illo deo summo dependentis. In eodémque sunt cæterorum entium exemplaria. Quoniam idea idearũ est, omnia intelligibilia in se continẽs, sicut sensilis mundus, omnia sensilia. Cum quo re etiam aliquando à Platonicis coniungitur intellectus agens. Vt colligi potest ex libro Plotini, de tribus principalibus substantiis.

2 Hic notanda est admirabilis quædam connexio & quasi concatenatio in causis efficientibus. Primo enim loco est deus pater qui potius est supra causas omnes, quàm causarum ordine inclusus. Sub hoc deus filius, ipsum verbum cui data est omnis potestas procreandi: sub ipso verbo, intellectus agens: sub hoc mundi anima, à qua singularum rerum natura constantium formæ profluunt. In quo adhuc obseruari debet ex Platonicorum opinione, harum externa origo, non de materiæ potestate.

Ab eodem ente vno & perfecto, de quo duobus capitibus superioribus dictum est, repetitur origo eorum quæ sunt in vtróque mundo: sed non eodem modo. Cap. 3.

1 *Ens vnum atque perfectum, omnia efficit quæ in mundo superiore ad intellectum & in inferiore ad sensum pertinẽt, propter virtutem assidue influẽtem, quam in se recipit. Hæc verò aliunde immissa perfectio, infinita est: quoniam nihil*

habet sibi aduersum: sed ab intellectu agente subinde transmissa in effectum proximum, nequaquam assequitur sacram illam lucem & diuinam bonitatem infinitam. Quare effectus eiusmodi vim illam influentem recipiens, proximus non est verbo eius opificis, à quo talis virtus influit. Ideóque intellectus agens vim finitam transmittit, per quam tamen adhuc potest consequi vt proprius effectus, sit æternitatis particeps. Quoniam opus quod illi intellectui est proximum, idem quoque omnino interitus est expers, essentiámque habet constantem: ex qua mundi vtriúsque constantia & robur proficiscitur. Sic enim communis animus perpetuitatem conseruat quàm ipse expetit, vi scilicet virtutis eius quæ ab intellectu agente immissa est, eadémque potens & efficax: quia ille deo est proximus. Nec verò eidem, animi appetitio deest per quàm ad deum excitatur. Quoniam ad hunc ab intellectu agente deducitur, per virtutem influentem, qua illustratur atque instruitur, sed tamen finitam, ne obstupescat ac perturbetur prosternatúrve eam recipiendo. Intellectus verò ad propriam appetitionem excitatus est ab opifice primo, in cuius meditatione ambo defixi, 2 mundi vtriúsque efficiuntur immemores. Verum enimuero quod ab illo intellectu influit ad excitandam & consequendam diuinam appetitionem, de procreatis rebus ei communicari non potest qui ex essentiæ proprietate, cogitationis discursu & motu agitur. Quoniam in hoc ad caliginem densásque tenebras materia suapte natura inclinans, animi essentiam quodam modo suo imperio coercet. Id autem quod influit, sua vi ad motum excitat, ex vna conditione ad aliam transferendo. Eoque efficit vt per hunc cogitationis motus in materia

minime sentiatur: sicut nec seminis in radice mentulæ.

SCHOLIA.

1 Entis vnius & absoluti appellatione, dictum est antea significari partim ipsum verbum, partim intellectum agentem, cuius virtute omnia in vtróque mundo continentur, procreantur & conseruantur. Sed hæc vis in neutro horum est tanquam in primo fonte, verum à Deo parte, qui vtroque superior est, influit. In quo tanquam in immenso mari, ipsa infinita est, in singulis verò rebus tanquam in riuulis, finita & ad cuiusque propriam naturam determinata.

2 Vtrúmque mundum dicit non intelligibilem & sensibilem: sed in sensibili tam cælestem quàm elementarem. Non enim animus in contemplationem dei ab intellectu agente erectus, mundi intelligibilis immemor efficitur: imo potius in hunc desinit, sed erigitur supra omnia sensilia quę sunt in vtraque parte mundi sensibilis. Quod verò sequitur de materia suapte natura ad tenebras inclinante, id repetendum est ex Platonis Sophista: cuius sententiam hac in parte copiosissimè exposuimus commentario in postremam paginam Alcinoi.

Sensilis mundi perpetuitas, quo modo à cælo sit & vnde in rebus his inferioribus ortus & interitus vicissitudo existat. Cap. 4.

Rerum species subiectis constitutæ & in ordinem adductæ, suis gradibus secundum formas distinguuntur. 1 *Quoniam formæ substantiam continent, secundum quietem cogitabilem, per quam motus desinunt & figuræ situm suum seruant: præsertim cum sine ea motus futurus sit cogitabilis, qui formas inter se commiscebit. Ex quo rerum interitus atque ignoratio consequetur. Quoniam igitur motus eiusmodi cogitabilis, in cælestibus orbibus locum non habuit, cogitabiles formæ illis euidenter accommodatæ sunt, eædémque procreatæ, in illis constanter permanserunt. Atque orbium motus perpetuatus est, quia cælestes substantiæ semper eundem motum, omnis mutationis expertem, nec vnquam desinentem, retinentes, regendo perfecerunt vt impreßiones peractæ adhuc seruentur, per virtutes ab illis transfusas: vtque formæ ipsæ permaneant. Si quidem illæ ad compositas*

ſubſtantias vniuerſorum rationem obtinent. Earundem autem motus ſi varientur, impreſsiones vniuntur. Ex quo perire neceſſe eſt ea quæ mixta ſunt: quia hæc earum virtute orta ſunt. Sicque rerum generationem deficere oportebit. At quia rerum commutationes perſeuerant, frequenter quoque ortus & interitus ſibi inuicem ſuccedunt, & communi illa operatione páríque appetitione orta, diuinis coloribus exornantur. Ea enim quæ caduca ſunt partes eas continent quibus variæ commutationes naturales dominantur. Quæ cauſæ ſunt ortus atque interitus, in quibus natura ſuperiorem mundum imitatur atque animus ad illum quaſi in orbem reuertitur: vt opificem ſuum attingens, vim eam excipiat quæ à verbo procreante influit.

SCHOLIA.

1 In exemplari quod ſecuti ſumus legitur, ſeruantúrque figuræ poſitum: ſed hoc ſic immutandum exiſtimauimus, vt ſententię commoditas aliqua poſſet elucere, vel legendum, ſeruãtúrque figuræ poſitę. Cum iis autem quæ dicuntur hoc capite de viciſsitudine ortus & interitus in iſtis rebus inferioribus & de perpetua ſpeciei conſeruatione in eadem viciſsitudine, conferenda ſunt quæ ab Ariſt. diſputantur duobus poſtremis cap. lib. 2. de ortu.

2 Vt enim res ſingulæ in vniuerſis conſeruantur & imagines rerum ſenſilium in ſubſtantiis exemplaribus, quæ ſunt idearum: ſic inferiora hæc corpora mixta, & ad numerum eadem quoad poſſunt & ſecundum ſpeciem æterna permanent virtute corporum cæleſtium.

Quo modo vnum quodque corpus boni ſit particeps, & ſub eadem ſpecie quæ varietas rerum ſingularum: quæ tandem omnes ad vnum referuntur. Cap. 5.

1 *Nullum corporis genus eſt, imo neque ſpecies, ſed ne ſingulum quidem vllum, quod diuini boni non ſit quodam modo particeps. Quia neque ſine illo vlla eſt rerum conſtantia. Præſertim cum princeps intellectus cuiúſque rei connenientem eſſentiam conſeruet, neque, vel ad temporis punctum,*

eius sit immemor: idque perficiat sine alterius auxilio, cum ipse causarum omnium sit principium. Neque verò vnitas quæ ad res numerabiles pertinet, illius causa est: neque ipse vllo modo in numerum cadit. Quoniam eius essentia nullam diuisionem recipit, quæ cadit in omnia singula. Hæc verò duorum sunt generum. Quædam enim reperiuntur in quibus sub vna specie vnicum est singulum, vt verbi gratia, Sol, Luna, Terra, Aqua, Aër, ignis. In quibus singulum vnicum est essentia, specie & loco: adeo vt verè dici possit omnem terram esse vnicam, atque de cæteris eodem modo. Alia sunt quæ sub vna specie numero distinguuntur, vt pluuiæ, coruscationes, quæque sunt istiusmodi, vtque stellæ aliæ quæ ab errantibus sunt distinctæ & singula omnia mixtorum, quæ orta sunt, vt eorum quæ eliciuntur è terra, plantarum & animalium. Itémque numerus cuius species sunt composita, vt binarius, ternarius, quaternarius, senarius. 2 Ea enim quæ sunt in numerum augentur atque diuiduntur quandiu naturalia percurrimus, prius quàm diuinorum finem attingamus. Atque illa semper in numerum excrescere deprehendes, donec ad intellectum perueneris qui in formarum procreatione omnino vnus est. Et tamen vnus est vnitate adhuc diuidua quæque plura in se continet eadémque habet sibi insita. Etenim hic duplex efficitur cum ab opifice, cui succedit, contrahitur & per negationem, ab eiusdem suprema vnitate separatur. 3 Siquidem vbi ad primum opificem ascenderis illum perfectissimè & maximè absolutè vnum esse depeehendes: vt pote qui omnem numerum omnino excedit. Nec enim ipsa imaginatione diuiditur, sicut id quod procreatum est: neque pro habitu formarum exemplarium

in numerum excrescit. Sed vnum quiddam est ab omni numero naturali atque diuino separatum. Cuius vnitas non comprehenditur nisi per abstractionem à signo & imagine propria, in qua eiusdem opus expressum est, vt ab agente perfecto. Qui verò arbitratur primum opificem vnum esse quia neque duo est, neque tria, neque quicquam alio numero comprehensum, is à veritate aberrat. Quoniam, si quis consideret quod hac opinionem significatur, primus opifex hoc modo se ipse numeraret, neque ab alio numeraretur. Quo posito, reliquos etiam numeros consequentes numeraret. Falsum verò est opificem summum seipsum numerare, aut aliud quippiam. Quandoquidem si se ipse numeraret, vnus esset ea vnitate quæ ad numerum pertinet. 4 *Sique alia numeraret,, pars esset numeri dupli, aut tripli. Quare vel pars eius dimidia vel tertia. Summus igitur opifex vnus est, ea vnitate quæ maxime abstracta est: atque ex eo tantum vnus esse intelligitur quòd nulla numeri specie comprehendatur, nec quicquam huius essentiæ adiungatur: atque ab omni multitudine ad numerum pertinente, abstractus sit, quocúmque modo ea in res procreatas cadat.*

SCHOLIA.

1 Diuinum bonum, idea boni est: hæc verò Platonicis ipse deus rerum omnium opifex, qui in procreando omnia se ipso compleuit, pro cuiúsque tamen capacitate. Itaque omnia hoc ipso quod ab illo sunt, bonitate participant, etiam si non existant in eodem bonitatis gradu: quia neque ab illo eodem interuallo distant: quemadmodum pluribus expositum est ab Alcinoo cap. de deo, & à D. Dionysio Areopagita lib. de diuinis nominibus.

2 In prima causa efficiente, omnia quæ sunt, vnionem accipiunt: sicut ea quæ natura constant in multitudinem abeunt per partitionem materiæ. Hæc enim causa est rerum solo numero differentium sub eadem specie. Itaque sicut vnio eorum quæ sunt, beneficium est primæ causæ efficientis: sic multitudo, & in hac naturæ varietas, ipsius materiæ quoddam maleficium.

3 Sic de vnitate rerum omnium principio, vniuersam naturam longo interuallo

excedente, Pythagorei philosophati sunt. Quamquam horum sententiam longe aliter interpretatus Aristoteles lib.12. Metaphys. Nec verò ab hac alienum est quod eodem libro obseruauit D. Dionysius, Monadem & vnitatem deo attribui propter simplicitatem vnitatémque impartibilitatis ipsius, natutam vniuersam exuperantis. Ex qua,inquit,tanquam vnifica potestate efficimur vnum,diuiduisque nostris diuersitatibus supra mundanum modum conglobatis, in monadem dei formem vnionémque deum imitantem colligimur. Cum iis conferenda quæ antea dicta sunt cap.18.lib.10.

4 Omnis enim vnitas quæ pars est numeri, aliquoties sumpta, datum quemuis numerum adæquat: ideóque ea aliter se dicitur habere ad numerum quam punctum ad lineam. At absurdum est deum sic se habere ad vllam earum rerum quæ sunt. Quoniam contra, datam quantamuis multitudinem sua præstantia infinito interuallo excedit.

Ordinem omnium eorum quæ sunt, ita explicat vt primam originem à deo repetat, desinat in formas naturales quæ omnino in materiam sunt demersæ. Cap. 6.

Primarius opifex vnus, ens vnum procreauit: idémque voluit sua vi conseruare substantias omnes quæ apud nos 1 formis carent. In quo causa est posita propter quam nos harum essentias minimè possumus comprehendere. 2 Deinde verò per eundem adcreauit formas primas, quæ sine materia rerum essentias continent: etiam si has sine materia, nostra cogitatio non statim complectatur. Amplius quoque procreauit eas substantias quæ naturæ legibus sunt informatæ, vsque ad eam quæ inter illas quæ oriuntur, est postrema. Itaque intellectus ab opifice primus, omnium eorum quæ procreata sunt principium existit: idémque in omnibus conseruat omnia. 3 Communisque animus, omnis formæ diuinæ atque corporeæ principium est, cum ipse forma sit à materia separata satísque potens ad omnia contemplanda, propter eam vim quam à superioribus influentem recepit. Cuius opus (quod quidem natura est) in naturali materia conformatum apparet. Postremo loco existunt ea quæ arte constãt similiáque sunt naturalibus, hoc ipso quod

ex

ex illis efformata. Si quidem artifex qui vult aliquid efficere, materia indiget quæ iam sua forma sit predita, ex qua id quod molitur, absoluat. Quo modo enim artis figuram imprimere posset materiæ, formæ experti? aut formæ, materia carenti? Hoc enim in iis est quæ fieri nullo modo possunt. Vt, verbi gratia, figulus efformaturus ollam, aut aliud fictile vas quodlibet, præmeditatus, terram miscet háncque ad opus accommodans, ollam fingit pro sua facultate. Deinde eandem coquit, vt duriorem reddat. In quo minime dubium est quin lutum, ollæ materia sit. Sic autem in aliis aër & ignis. Ars igitur ad hunc modum se habet. Animus verò communis potestatem adeptus est procreandæ formæ in materia simplici ac informi, secundum naturam: nec ille aliter formarum principium est quàm in eiusmodi materia simplici procreata. Consimili verò ratione intellectus agens, cum opus sit opifici primario proximum, hunc contemplans, perfectam potestatem habet nouandi communem animum. 4
Quoniam nobili sua essentia, quæ diuinæ est imitatrix, animum rationis participem excitat, qui tamen à Deo habet originem. Nec enim fieri potest vt intellectus contemplando aliquid innouet quod simile non sit formæ optimæ opificis eius quem intuetur, cuique ipse est proximus. Per quam contemplationem, vnius de iis quæ procreata sunt, essentia, insita specie denudatur. Quandoquidem primus opifex intellectum agẽtem constituit vt omnium quæ procreata sunt, principium, eorundémque seruatorem: quem ipse quoque à communione formarum variarum abstraxit. Atque idem communem animum formauit qui futurus esset causa formarum omnium diuinarum ac corporearum. Quem etiam

ab vnione materiæ separauit, vt similis euaderet ei qui inter res procreatas obtinet principatū. Eidem tamen inseruit perpetuam appetitionem informandæ materiæ, quæ olim erat informis: vt hæc ab illo influentem vim perpetuo reciperet. Deinde procreauit cælum & terram generáque omnia & species atque adeo singula, prout hæc materia constant informata formáque materiata. Quæ omnia inter formam atque materiam interiecta sunt, eadémque, sicut antea probatum est, compositorum sunt principia, non ipsa composita.

SCHOLIA.

1 Formas intelligit exemplares omnino à materia separatas, quales sunt ideæ. Quæ, vt à nobis pluribus est expositum, commentario in Alcinoum, secundum summā suam perfectionem sunt in sola prima mente, vel in primo rerum omniū opifice. In rebus verò materiatis, tantum secundum adumbratam imaginem: quę consistit in forma naturali cum sua materia communicante. In cuius obseruatione circa naturalia corpora exercitati, vix vnquam in vita hac ascendimus ad illas primas rerum formas, imo circa has similes sumus hominibus somniantibus, vt ex Platone antea dictum est.

2 Locum hunc sic expresserat vetus interpres, dein per ipsum ad creauit formas primas, habentes essentias absque materiis: quamuis cogitatiua non præcognoscat eas exemplo, citra materiam. Nos verò eum expresimus quasi legeretur, ex templo, id est statim. Vt significet animum nostrum in vita hac non statim discursu cogitationis posse ascendere ad ideas: sed repurgatione indigere & antecedente longa exercitatione in abstractionibus Mathematicis. Quæ germana est sententia Platonicorum. Quanquam fortasse vetus lectio retineri potest, modo per exemplum, imaginem ideæ in materiata forma, intelligamus. Vt significet animum nostrum non posse ascendere ad ideas, nisi prius cogitationis discursu exercitatus sit circa formas naturales, quę illarum sunt imagines.

3 Diuinas formas alius interpres vocat spiritales. In quo hæreo: nec satis habeo definitum, quas spiritales formas nominet, an ideales & exemplares, an ea potius quæ corpora cælestia informant. Quoniam in Platonica doctrina absurdum videtur animum mūdi, quem hic communem nominat, principium esse idearum. At idem de formis cælestia corpora informantibus, verisimè dici potest.

4 Sic Platonici voluerunt in homine procreando animi partes inferiores mortales, à minoribus diis accepisse originem. Eam verò partem immortalem qua ratiocinamur & intelligimus, à Deo patre, minoribus diis ad huius procreationem esse datam. Quoniam existimauerunt quicquid ab illo deo patre sine vlla alia causa intermedia ortum est, immortale esse oportere: sicut à nobis obseruatum est Commentario in cap.13. Alcinoi.

Animi humani comparatio explicatur cum intellectu agente, ad quem semper erigendus est, & cum iis inferioribus, ad quæ nonnunquam idem suo vitio descendit. Cap. 7.

Primarius opifex, ens verè vnum est, vnitate ea quàm antea exposuimus. Sequitur verò intellectus agẽs, quia cũ verbo ipsius opificis nullo alio medio interiecto cohæret.1 Quoniam absoluta essentia vnus est, & ab essentia vna secundũ eam vnitatem quæ omniũ est perfectissima, quæque ad essentiã suã perfectissimam verámque conuersa, formauit intellectum agentem húncque informando vt primum inter ea quæ procreata sunt, propriam vnitatem suam est contemplatus. Quare & intellectus perfectus est & inter ea quæ procreata sunt, obtinet principatum. In quem etiam amplius ab eo quod vere vnum est, virtutes plurimæ & maxime influunt, à quibus ille vim habet conseruandi cæteras substantias procreatas. Quia vt ab eo quod verè vnum est, originem habet, sic ab eodem essentiam immotam accepit. Ipse verò animum quoque immotum procreauit. Qui cum ab eo intellectu cuius est aliqua origo, habuerit initium, ipse nullum opus edere potuit sibi æquale atque immotum: sed mobile, in quo huius simulachrum existit, ideóque commutabile atque infirmum. Quoniam motus in rem æternam non cadit: alioqui opus ipsa operatione esset præstantius: quod fieri nullo modo potest.2 Animus autem cum opus aliquod parat, principium suum intuetur à quo robur & lumen recipit recipiendóque sursum attollitur. Cum verò quædam simulachra tantum & imagines instituit, deorsum mouetur, ad ea scilicet quæ in sensum cadunt quæque natura constant: vt ad ele-

mēta, plantas & animalia. Inter quas ſubſtantias, quæ modo ſunt enumeratæ, nulla poſterior ſine priore exiſtit. Si quidem ab ea pendet: quemadmodum & generabilia omnia ab animo humano. Hic enim in omnes ſubſtantias inferiores effunditur, vt in plantas: in quibus illius opus quoddam exiſtit. Vt pote ad quas deſcendit appetitionis ſuæ impetu, figuras eiſdem impreſſurus, progreſſurúſque vſque ad ſingula & ad ea quæ ignobilia ſunt. Animus igitur prout intellectus agentis imago quædam eſt, ab illo non auertitur. Alioqui ſi hoc contingat deſcendet ab illo bono principe procreato: nec deſcendendi finem faciet, donec infimum quiddam attigerit. Quod cum acciderit, tum hic ab eodem relinquetur. Ac quanquam in hoc deſcenſu ea adhuc operetur, quæ quadam ex parte bona, ſunt tamen hæc ignobilia, ſi comparentur cum ſuperius eſſentiis quæ mundo intelligibili continentur. Hæc verò animus operatur dum obſequitur voluptatibus pertinentibus ad eam appetitionem quæ cùm ſenſu eſt coniuncta. In qua inſunt quæ ſingula ſunt bona, vt pote quæ eidem cognata. Quoniam ſimile ſimili oblectatur. Iſta autem infima minutáque ignobilia ſunt, ſi cum maioribus & ſuperioribus, quæ ad intellectum pertinent, conferantur.

SCHOLIA.

1 Significat perfectionem & vnitatem eſſentiæ proximo immediatóque effectui primi opificis ineſſe, quia ineſt primo opifici: non tamen vtrique eodem modo. Quoniam perfectio eſſentiæ immenſa primo opifici ineſt, vt cauſæ, vel potius vt cauſas omnes immenſo interuallo excedenti: intellectui vero agenti, vt effectui, definita, ſed inter reliquos effectus ſumma: eóque inter hos maior, quo longiore dignitatis interuallo hic eos ſuperat. Idem de ipſa vnitate ſtatuendum. Nam primus opifex vnus eſt, vnitate eſſentiæ omnes numeros excedente: ſicut dictum eſt cap. 5. lib. huius. Intellectus autem agens vnus ea vnitate quæ iam numero aliquo includitur, vel quæ certe ipſa numeri cuiuſdam eſt principium.

2 Diuina ſententia eſt & maxime Platonica de duplici animi motu modo ſe

supra materiata erigentis, modo ad hæc demittentis. In priore summa eiusdem est perfectio: in posteriore eiusdem impuritas & imperfectio. Quia, vt ait Seneca, homo contemptissima res est, nisi supra humana se erigat.

Rerum animatarum gradus pro varietate facultatum animi distinguntur, simúlque quæritur quæ cuiusque animi conditio futura sit post animatæ rei dissolutionem & interitum. Cap. 8.

Animus quamquam causa sit naturalium, rerúmque in sensum cadentium, quas ipse sibi cognatas habet, illas tamen propriis gradibus secundum cuiúsque rectam rationem ita distinxit, vt earum vnam à suo gradu ad alienum transferre non posit. Ac licet naturalia omnia bona sint & in ordinem adducta, inferiora tamen sunt superius nobiliúsque substantiis ad intelligentiam pertinentibus. In quibus fieri non potest vt quicquam deficiat, præsertim cum hæ rectæ semper sint: vt pote quæ à principe opifice profluant. In iis autem quæ sunt inferioris ordinis, multa deficiũt. Quoniam procreata sunt ab opere intellectus agẽtis, nempe ab ipso animo. Cuius pars altrix, quæ ad plantas pertinet, ignobilior est & maiore ignoratione impedita. Quare & ea descẽdit donec cũ corpore infimo atque vili coniungatur. Pars vero quæ in belluam cadit, altrice nobilior est: quoniam sensus est particeps. Superior etiam sentiente, ea quæ inest homini: imo hæc præstantissima, vt pote quæ cogitandi vi atque intelligendi est prædita. 1 *Vis quoque sentiendi cum intelligentia affinitatem habet: sicut & ea quæ progrediendi. Quoniam vtraque intellectu quodammodo dirigitur. Porro eius animi qui plantis inest, vis maxima in radicibus consistit. Sicut ex eo potest intelligi quod amputatis summis ramulis, vel etiam insigniore ramo, arbor nondum exarescit. Eadem vero excisis radicibus, omnino emoritur.* 2 *Si quis autem*

inquirat an animus plantæ excisis radicibus, separatus intereat, dicendũ est hunc redire ad propriam regionem quam habet in mundo intelligibili: à qua nunquam postea recedit. Quemadmodum & cum interit quidam animus sentiens in bellua, hic quoque ad eundem mundum ascendit. Quandoquidem intellectus ad animos recipiendos comparatus est, à quo hi postea nunquam discedũt. Alioqui animus nusquam esset. Quod si concedatur, is neque sursum erit, neque deorsum, sed vbilibet sine vlla diuisione. Neque verò diffunditur vt id quod est vniuersum. Alioqui loca omnia occuparet. Neque item animus ad supremam mundi intelligibilis partem excitatur: sed consistit in finibus mundi vtriusque, vt substantia quodammodo media inter eas quæ ad sensum & quæ ad intellectum pertinent. 3 Ac si ita visum sit, facilius descendet ab illo superiore orbe in hunc inferiorem, quam ab hoc ad illum possit ascendere. Intellectus autem agens & animus cæteræque substantiæ intelligendi vi preditæ, perpetuæ sunt, ideóque non intereunt: quòd ortæ sint à primario opifice, nulla causarum mediarum multitudine interiecta. Naturalia autem & ea quæ in sensum cadunt, commutantur atque intereunt, quia originem habent à pluribus causis & effectis interiectis: nempe ab intellectu & animo. 4 Quanquam de iis naturalibus quædam longioris vitæ sunt, alia breuioris: idque prout maiore minoréve interualo à primario opifice sunt seiuncta: vel vt ab eodem pluribus paucioribúsve causis interiectis, sunt separata. Siquidem quod pauciora habet media, longioris vitæ est: quod verò plura, breuioris. Hoc etiam scitu dignum est, naturalia omnia quendam ordinem inter se habere, in quo alia ex

alijs pendent. In hoc vero quod posterius est, cum interit, ad id quod inter priora est proximũ, reuertitur, donec ad celestes orbes referatur: deinde ad animum communem, postea ad intellectum agentem, in quo res aliæ omnes procreatæ, existunt. Ipse vero in primario opifice: qui non alius est à verbo procreante: ad quod, sicut sæpius dictum est, omnia reuertuntur. Quoniã ab illo orta sunt, & in eodem cõsistunt.

SCHOLIA.

1 Vtraque enim vis, sentiendi inquam & progrediendi, imaginationem habet adiunctam: quãquam non eodem modo. Nam imaginatio sensum sequitur: progressionem vero antecedit, vt huius causa efficiens si non omnino, at certè quadam ex parte, vt colligi potest ex cap. 9. lib. 3. de animo. Imaginatio autem rationis & intelligẽtiæ quoddam est rudimentum. Vnde accidit vt belluæ in quibus hęc expressissima est, humanæ rationis & prudentiæ quodã modo participes esse videantur. Quod Arist. notat initio Metaph.

2 Admiranda hæc opinio de animi parte quæ nobis communis cum belluis atq; adeo cum ipsis plantis. Cuius fundamentum in eo videtur esse positum quod in dissolutione rei compositæ principia non redigantur in nihilum, sed abeant in ea à quibus acceperunt originem. Itaque vt plantarũ & belluarum corpus dissoluitur in elementa ex quibus est coagmentatum: sic animus redit ad ea à quibus habuit originem. Atqui antea sæpe significatum est, hunc defluxisse ab intelligibili mũdo, vt exemplares rerum omniũ formas in se continẽte. Quare ad eundẽ in ipso belluarum & plãtarum singularum interitu reuertetur. Quemadmodum solis radius se recepit ad ipsum solem quasi ad suum fontem, quãdo desinit hunc nostrũ aërem illustrare. Quod vtinã nulli sint qui sibi persuadeant de ea quoque animi parte qua ratiocinamur & intelligimus. Hanc enim existimare quidem debemus ad mundum superiorem reuerti: sed in hoc essentiam seruare separatã, non sic plane cum suo principio vniri.

3 In hanc sententiam illud Poëtæ dictum videri potest,

facilis descensus auerni
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis,
Sed reuocare gradum superásque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Vide librum Plotini de animi descensu in corpora: & librum alterum eiusdem de triplici ascensu ad mundum intelligibilem.

4 Hoc non satis probabile esse videtur. Quoniam permulta sunt in natura homine inferiora & à primo opifice longiore interuallo separata, quæ tamen vitam habent humana diuturniorem, vt in plerisque belluis & plantis notari potest. Alij causam eiusdem rei referre mallunt ad proprietatem temperamenti. Vt hæc quo perfectior, eo longiorẽ vitam naturalem præstare dicatur. Quæ ratio in comparationis indiuiduorum eiusdem speciei valere potest: in iis verò quę sunt speciei diuersæ, non item. Nam Socrates corpore melius temperatus quã Plato, nisi quid extrinsecus incederit, secundum naturam vita fruetur lõgiore. At quod periodus vitæ alia sit in equo, alia in boue proprietate quadam ad vniuersam speciem pertinente, alia in caue hoc ad superiorem causam est referendum.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIÆ, SECVNDVM ÆGYPTIOS, Aristotelis lib. 14.

Interprete Ia. Carpentario, Claromontano Bellouaco.

Intellectus agens & animus communis, comparantur cum primo opifice, in procreationis modo atque item inter se, in eo lumine quod animus ab intellectu recipit. Cap. 1.

OMNIA alia quæ procreata sunt, sicut antea dictum est, in primo intellectu consistunt. Quem primarius opifex illorum principium instituit & in substantiis forma differentibus, gignendis, sibi vicarium esse voluit. 1 *Idémque opifex primus formarum rationes communi animo inseuit: quas, quemadmodum & intellectum, in suo gradu perfectas, temporis puncto sine vlla in hoc successione, in actum excitauit. Neque verò vnquam intellectus agens & animus communis prius secundum facultatem extiterunt, quàm in actum educerentur. Quoniam eiusmodi essentias omnino perfecit: vt pote quæ futuræ essent causæ reliquarum rerum procreandarum. Amplius quoque falsum est intellectum agentem prius secundum facultatem extitisse, imo id etiam eiusmodi vt fieri nullo modo potuerit. Præsertim cum non minus id quod*

quod nõ est, quàm id quod est, in se cõtineat: sed substantia sit vtriúsque effectrix. Quod ad essentiam potentem & efficacem pertinet. 2 Quoniam si ens dicatur forma materiata & quod ex materia atque forma compositum est, non ens autem materia informis, sique præter hæc tria nullum superest medium: intellectus nihil horum erit. Quia si vt aliquid horum inter ea quæ sunt, numeretur, efficietur profecto ens quoddam esse eiusmodi prius intellectu, sine quo non existet. Quare neque erit vnum quiddam absolutum. Vt verò etiam concedatur esse non ens, quod illo modo dicitur, non tamen ab aliquo de illis duobus separabitur. Quoniam si hoc contingat, intellectus non erit intelligendi vi præditus, sed ipse poterit intelligi. 3 Cum tamen res quæ potest intelligi, non sit intellectus, sed vt abstrahitur, intellectu ipso comprehendatur. Cum itaque effectum sit intellectum, sicut dictum est, principium esse omnium eorum quæ sunt, accidere nullo modo potest vt quod eiusmodi siue non ens, siue ens etiam tale, qualis est ipsa forma, illum contineat aut res sit cum potestate coniuncta. Sed ab omnibus quæ talia sunt, abstrahetur. Itaque in ordine rerum procreatarum agenti intellectui communis animus succedit. Cum hic appetitione sua ad illum ascendat vt ab eodem propriam perfectionem suscipiat: nempe lumen quod ab hoc influit. Sciendum tamen est animum non sic ad intellectum accedere, cum virtutem ab illo influentem recipit, vt eundem imitari possit & intueri: neque eum in contemplatione intellectus agentis extendi, sed vniri valdéque erigi. Neque tamen ob id huic lumen deest quod ab intellectu est accommodum: præsertim cum eum sic attingens, perfectionem suam statúmque ac naturæ consi-

ſtantiam aſſequatur. Cuius rei exemplum Plato aßignauit cum intellectum ſimilem eſſe dixit puncto circuli indiuiduo, quod angulos & latera ita continet, vt omnes lineæ ab illo oriantur in eodémque conſiſtant. Sicut & circulus quiddam eſt quod interiectas formas ambit & continet.

SCHOLIA.

1 Rationes formarum naturalium ſunt ideæ, vt earum exemplares cauſæ: quæ ſunt & in intellectu agente, & in animo mũdi, ſed ſuis gradibus diſtinctæ, quemadmodum vtrùmque horum cauſa eſt efficiens rerum naturalium, ſed non eodem gradu.

2 Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. docet materiam primam neque omnino eſſe ens neque omnino non ens, ſed mediam inter vtrùmque horum. In quo inuentum ſuũ multis verbis prędicat atque magnam commoditatem ineſſe oſtendit ad explicandas eas dubitationes quibus veteres phyſici perturbati ſunt in explicando rerum ortu. Platoni entia ſunt omnino & abſolutè, actus puri omnino à materia ſeparati: non entia verò ea quæ materiata ſunt, aut quæ ipſius materiæ tenebris inuoluta, ſicut à nobis obſeruatum eſt commentario in cap. in vltimum Alcinoi.

3 Sic Ariſtoteles lib. 3. de animo, docet formas eas quæ poſſunt tantum intelligi, non autem intelligere, materiæ addictas eſſe & ab hac inſeparabiles. Eas verò quæ poſſunt etiam intelligere, habere eſſentiam non modo ſeparabilem à materia, ſed ſeparatam. Qui locus in eius doctrina non parum habet virium ad confirmandam immortalitatem, eius animi qui ſingulis hominibus eſt proprius, quique in nobis ratiocinatur & intelligit.

Intelligibilis homo à ſenſibili diſtinguitur & vtriúſque propria conditio breuiter explicatur: ſimúlque eorum omnium differentia quæ ad ſuperiorem mundum & ad hunc inferiorem pertinent. Cap. 2.

1 *Primus author, temporis puncto nulláque in hoc ſucceſſione, hominem intelligibilem procreauit atque omnibus accommodatis proprietatibus exornauit. Non autem harum vnam prius, alteram poſterius, interpoſita temporis mora, dedit. Quod in ſenſili homine accidit. Itaque illi quóque priori homini perfectiones omnes quæ quidem ad naturam eius accommodatæ, primo ſunt inſitæ, neque earum vna poſterior ad alteram adiecta eſt, vt aduentitia: ſed ille in ſu-*

premo orbe purus & omnibus numeris absolutus. Nec eorum quæ primo data sunt, quicquam ab illo postea separatur. Esset enim ortui & interitui obnoxius, si diuersis temporum punctis sigillatim aduentitias perfectiones reciperet. Ad hæc quecúmque aliqua ex parte diminuta, adiectionem suscipiunt, ea ab agente imperfecto & ab eo quod tempore indiget, originem habent. In quibus numeratur ipsa natura. Ea verò quæ sunt in supremo orbe, proficiscuntur ab opifice perfecto summámque puritatem adepto: &, quod ad illa est consequens, actionem suam temporis puncto absoluente. Quare formæ etiam illæ perfectæ sunt & puræ eadémque ratione probæ. Quoniam inter eas nulla enumeratur quæ existendi constantiam non sit adepta. Ea verò omnia in quæ ortus & interitus cadunt originem habent ab eo quod tempori est subiectum. A quo cum etiam naturalia existant (quantumuis horum principium perfectum fuerit) eadem ortui & interitui erunt obnoxia. Quæ cum ita se habeant, de illis prius seorsum querendum est quid vnumquódque sit: deinde etiam propter quid. Quoniam hæ duæ rationes quæ quærũtur, non sunt in illis coniunctæ. AEternæ autem substantiæ nulla antegressa deliberatione procreatæ sunt. Si quidem orignem habuerunt à primo opifice, in quem non cadit cogitatio. Quoniam summam perfectionem adeptus est, quæ accrescere nõ potest, sicut nec vlla ex parte imminui. Si quis verò opponat primarium agens potuisse aliquid efficere ac deinde, idem perficiendo, aliud melius adiicere: dicimus si id quod procreatum est prius fuisset ab aliis vno modo seiunctum, deinde ad illud bonum quoddam aliud adiiceretur, fore consequens bonum eiusmodi antea minime per-

fectum extitisse. Non est autem rationi consentaneum agens primum quicquam efficere, quod quidem bonum sit, sed minime perfectum. Presertim cum ipsum, bonum sit primarium atque supremum. In cuius opere (cum sit hoc eidem proximum) nihil boni quod quidem ad eius naturam accommodatum sit, possit desiderari.

SCHOLIA.

1 Homo intelligibilis, ipsa est hominis idea, actus purus, omnis potentiæ quæ ad materiam pertinet, penitus expers. Quare nullam mutationem potest suscipere: neque perfectionem vllam nouam acquirere, neque eam quæ iam adsit, amittere. Hoc enim sine mutatione fieri nullo modo potest. Quod etiam de cæterarum rerum ideis Platonici volunt intelligi. Huius verò procreatio cuius hoc loco author mentionem facit, rationis est tantum: pendens ex relatione quadam ad primum opificem. Quemadmodum si Sol rêvera esset æternus, radij ab illo procreatio rationis esset tantum. Nam absurdum est ideam quæ æterna est, dicere reuera esse procreatam.

2 Sic Arist. cap. 9. lib. 1. de cælo, scribit in naturalibus quæ necessario cũ materia cõiuncta sunt, aliud esse spectare existentiam rei, aliud causam & formam essentiæ qua ipsa existentia continetur. At in formis à materia separatis, id ipsum quo continetur rei essentia, idem est cum eius existentia: (si modo existentia rebus eiusmodi incorporeis vere potest attribui) quia in eis nihil est omnino concretum: sed maxime simplex causa essentiæ, tota est essentia.

3 Per cogitationem intellige rationis discursum à præcognito ad incognitum, qui cum imaginatione coniunctus. Qualis non cadit in primum opificem: qui vt antea sępe dictum est, omnia cognoscit in se ipso & se ipsum intuendo.

Animum in mundo intelligibili, non solum intelligentiæ, sed etiam sensus esse participem: sensúmque habere non solum facultate, sed etiam actu. Cap. 3.

1 *Porro etiam ei substantiæ quæ est in supremo orbe, sentiendi vis inest. Quoniam in illo continentur ea omnia quæ hîc sunt cum materia cõiuncta: sed in illo sunt repurgata & materia superiora. Vt, verbi gratia, substantia vel scientia cæteráque eiusmodi insunt, sub specie quadam principe. Nec enim illis perfectionis quicquam deest: neque formæ cognatæ, priores existunt, quæ sunt imperfectiores: nec verò illic*

membrorum in animali vlla forma est, cuius imago materiæ non imprimatur. Ad quàm rem nullum agẽs materiam commutat, nisi eiusmodi species eandem informet. Quare si quis inquirat cuius efficientis vi membrum hoc (vt manus vel oculus) conformatum sit, dicimus id ab ea forma esse profectum, quæ pertinet ad mundum intelligibilem, in quo insunt omnia. Si quis verò amplius contendat imitationem tantum animali inesse, quanta satis esse posit, vt se ipse ab iis quæ nocitura sunt, tueatur: equidẽ hoc fatebimur. Quanquam tamen terrenæ substantiæ conseruantur à principe forma supremi orbis, prout scilicet inferiora omnia in animo mundi, tanquam in causa, existunt. Qui idem optimus est ferèque par ei essentiæ quæ deo est proxima. 2 Cum itaque omnia insita sint formæ ad intelligibilem mundum pertinenti, animo scilicet communi: sentiendi vis ab eo animo abesse non poterit, etiam si in orbe supremo animus intelligendi vi præditus absolute perfectus sit talisque ab intellectu agente puro omnino atque perfecto: vt pote qui opus quoddam sit primo opifici proximum. Amplius autem animus intelligentiæ particeps in orbe principe atque supremo, perfectiones omnes habet quas in hoc infimo nactus est. Quoniam causa eadem omnia continens, nulla ex parte est imminuta. Quare illic homo non solum intelligentiæ, sed etiam sensus est particeps: neque præter intelligendi vim, eam quæ sentiendi, in eum finem habet vt ad generationem aptus sit, sed quoniam in ea conditione vtráque perfectio illi est accommodata. 3 Si quis verò arbitretur animo in supremo orbe sentiendi facultatem tantum inesse, eundem autem in regione eorum quæ oriuntur, reipsa sentire, quòd sentiendi facultas consi-

stat in eo recipiendo quod sentiri potest: id quoque falsum esse dicimus. Quoniam in illo supremo orbe nihil secundum facultatem, sensus est particeps. De quo inter summos sapientes Babilonios maxima est consensio. Contra namque absurdum foret animi facultatem in hoc inferiore mundo ad actum excitari: cum illa potius descendendo ignobilior efficiatur & quodam modo interitus particeps. Ad hæc si animus in mundo intelligibili non sentiret, quo modo ea quæ in sensum cadunt, ab aliis discerneret?

SCHOLIA.

1 Horum omnium fundamentum illud est, quod antea sępe vsurpauimus, omnia quæ sunt in mundo hoc, esse etiam in superiore: sed esse in illo, modo meliore. Quemadmodum quæcúmque sunt in imagine per imitationem adumbrata, eadem sunt in exemplari, sed modo eminentiore. Sic nonnulli dicere ausi sunt, animos beatorum qui è corporibus excesserunt, sensum quendam habere rerum singularum, sed diuiniorem: quia sine corpore organico.

2 Essentia deo proxima, est intellectus agens: quia hic immediatus est & quoad fieri potest, illi adæquatus effectus. At sępe antea dictum est intellectui agenti proximè succedere animum mundi esséque hunc illius proximum & immediatum effectum.

3 Omnis enim facultas quæ ad actum nouum & externum refertur, ex relatione ad hunc, quædam imperfectio esse censetur. Subiectúmque eiusdem, talem actum acquirendo, nouam perfectionem dicitur acquirere: vt in motibus physicis est manifestum. Quare si animus in mundo intelligibili, antequam descendat in humanum corpus, facultatem tantum ad sentiendum habere dicatur, actum verò sentiendi accipere à communicatione cum corpore: hac ex parte, descendendo in vitam hanc, perfectionem maiorem acquiret quàm haberet in mundo intelligibili. Hoc autẽ manifestè aduersatur doctrinæ Platonicorum, ad quos potissimum ista sunt referenda: quæ Babiloniis attribuit quod fortasse eorum partem maximam Plato peregrinando, ex illis hausisset.

Homo intelligibilis cum sensibili comparatur, præsertim in ipsa definitione, quæ ab animo vt continente formam essentiæ, ducitur. Cap. 4.

Iam vero explicaturi quæ conditio sit hominis intelligibilis, dicamus qualis sit is qui in sensum cadit. Quem cum planè perfectéque non possimus cognoscere, quo modo cum asse-

quemur, qui in ſupremo orbe exiſtit? Atque fortaſſe cogitatio nos eo erigens, dictat hominẽ cum illo eundem eſſe. 1 *Quare hoc primum inquiramus vtrum homo qui in ſenſum cadit, præter imaginẽ cõmunis animi, cuius vi animal efficitur, etiã imago ſit eius animi qui ſingulis eſt proprius. An verò cõmunis animus, homo ſit, is verò qui ſingulis ineſt, quique ſuas operationes edit in corpore, minimè hominis eſſentiam contineat. Vt ſcilicet hoc modo homo, animal ſit rationis particeps: non autem aliquid ex animo & corpore compoſitum, neque ipſe animus cum certo corpore coniunctus. Quare cum homo qui in inferiore mundo eſt, definiatur qui compoſitus eſt ex animo rationis participe & ex corpore, fieri non poteſt vt homo hic ſimilis ſit illi ſuperiori, quem intelligibilem atque formalem dicimus. Quare neque definitio eiuſmodi vera omnino erit, ſed tamen veriſſimilis. Quoniam ea non caret principio eſſentiam hominis conſtituente: forma ſcilicet per quam eſt id ipſum quod eſt. Quæ cum ita ſint, illa veri hominis ſimplicis, formaliſque definitio nondum erit: ſed eius qui compoſitus eſt. Nec id quod compoſitum eſt, per ſolam formam definitur, ſed etiam per materiam: ſimplex verò per ſolam formam. Itaque veri hominis definitio ſola forma abſoluetur à qua habet vt homo ſit, quæq; iſeparabilis eſt & ad id neceſſaria vt dici poſſit animal rationis particeps. In qua definitione, animal vitam ſignificat, quæ non eſt niſi ab animo, Homo vero totus corpore conſtat & animo, qui illius forma eſt. Quibus poſitis, nõ effugimus quin homo proprius aut animus ſit intelligẽs, aut eius opus. De quibus duobus ſi prius concedatur, efficietur hominem dici poſſe animum intelligẽtem, etiam cum*

qui corpus aliud ab humano erit ingressus. Hoc autem ex eo falsum intelligitur, quod animus sub ratione huius nominis, non potest consistere nisi cum inest corpori humano, quale nunc ipse nactus est. Quid igitur vetat quo minus hominem semel esse dicamus compositum quoddam ex animo & corpore? deinde verò animal rationis particeps, seu rationem ipsam: id est, opus animi ratione vtentis? Nec enim opus eiusmodi ab alio agente potest existere. Nam vt rationes efficaces quæ seminibus insunt, arguunt hæc singula proprium animum habere, vicissímque animi in eisdem declarant simul inesse rationes vitæ effectrices (neque vero hoc in illis mirum videri debet, cum opera quædam sint earum partium animi quarum munus in alendo consistit) sic animi in quibus sentiendi principium atque etiam amplius, alij qui ratiocinãtur & intelligunt, quanto illustriores clarioresque sunt, tanto magis rationes vitæ effectrices declarant. Itaque animus rationis particeps prius quam cum corpore coniunctus sit, secundum eam definitionem quæ à forma ducitur, propriè homo erat: in corpore autem, alterius hominis imaginẽ efformauit, nempe eius qui in sensũ cadit. Atque quoad potuit hunc ad illius veri hominis similitudinem accomodauit, vt eum pro sua facultate imitetur. Ac vt hominis depicta imago, hominis quidem similitudinem aliquam retinet, sed ignobiliorem (nec enim hæc hominis conditiones habet, nempe vitam: non enim progrediendi vim, neque alias facultates) sic homo hic qui in sensum cadit (cuius forma est quidem animus rationis particeps, sed ea imperfecta) imago est primi illius hominis atque diuini. Animusque conatus est vero homini, hunc hominem ipso lumine similem

efficere

efficere: cum illi indidit rationes hominis primarij, sed imperfectiores tamen: vt pote perpaucas atque singulares. Si quidem homini primario potẽtes & efficaces sensus insunt, illustriorésque quàm huic homini qui in inferiore mundo, illius quædam figura existit.

SCHOLIA.

1 Quæstio hęc fortasse eo pertinet vt intelligatur an singulis hominibus in sensibili mundo, singulæ ideæ respondeant in mundo intelligibili: quomodo à Plotino vno libro quæsitum est, Vtrum singulorum etiam sint ideæ. Nunquid etiam vniuscuiusq; inquit Plotinus cap. 1. libri eius, est idea? Forsitan si ego & vnusquisque ad intelligibilem reducimur ordinem, ibi quoque est vniuscuiusque principium: Forsan etiam si semper est Socrates & Socratis anima ipse Socrates erit, quatenus anima singularim, sic ibi Socrates & quilibet singulatim. & cætera.

2 Arist. indicat cap. 1. lib. 1. de animo, physicum res explicare solere aut potissimum per materiam, aut per formam cum materia coniunctam: quia versatur circa formas quæ necessario in agendo cum materia communicant. Pertinet vero ad locũ hunc quod Socrates apud Platonem dicere solet, talem esse vnumquemque nostrum qualis est animus. Vnde existit quæstio quæ paulo post indicatur, Si hominis essentia in solo animo consistit qui rationis est particeps, nihilque corporis ad talem hominis essentiam est necessarium, an homo erit etiam si talis animus corpus belluæ ingrediatur? Hoc enim ad superiora videtur esse consequens. De quo vide quod ab Aristotele dictum est cap. 3. lib. 1. de animo.

Quo modo homo qui sensibili mundo continetur, præparandus sit & excitandus ad intelligibilis hominis contemplationem. Cap. 5.

Eum qui primarium hominem & verum contemplaturus est, probitate atque dignitate oportet esse exornatum, sensúsque potentes habere, ne hebescant cum ab illo supremo clarißimi radij exorti, in hos effundẽtur. Si quidem primarius ille homo ac verus, clarum lumẽ est, in eodémque insunt omnium quæ ad hominem pertinent, rationes insignes. 1 Atq; hic homo est quem Plato definiuit, nisi quod præscripta definitioni adiecit, cum dixit hominẽ animal esse rationis particeps: id est vitam siue animum rationis participem, cui accommodatum corpus subseruit. Huic namque animo cor-

pus quidem primo ſubſeruit: ſecundo loco animo diuino eidémque nobili, nempe per intermediam eam animi partem in qua eſt ſentiendi principium. Cuius comes animus rationis particeps, potiorem vitam dat, neque tamẽ propterea ex ſupremo orbe ad infimum deſcendit, ſed ſua vi influit. Neque enim animus rationis particeps, ex illo intelligibili mundo in hunc ſenſibilem delabitur: ſed coniungitur cum animo qui ab eodem dependet. Quare hominis huius ratio etiam ſi imperfecta ſit, ipſa tamen origine ab illa excelſa, nobilitata, cum eadémque vnita, potentior efficietur. Eáque de cauſa nonnulli dixerunt animum qui ſingulis ineſt, eius qui communis eſt, partem quandam eſſe.

SCHOLIA.

1 Hic enim homo primarius idea eſt h[illegible]s in ſenſum cadentis: ea vero ſumma rei cuiuſq; perfectio. Cui apud Platonicos definitiones accommodãtur, ſicut apud Ariſtotelẽ vniuerſalibus, in quibus res ſingulæ continẽtur. Vnde lib. 6. Top. apud Platonicos earum diffinitionum reprehẽſio, quibus includitur aliquid mutabile aut mortale. Quia hoc in ideas non cadit.

Animo in mundo intelligibili, nõ ſolum intelligentiam atque rationem ineſſe, ſed etiam ſenſum: at modo meliore quam in hoc inferiore mundo. Cap. 6.

Si quis verò inquirat quo modo poßit cõtingere vt animus ſentiens qui in ſuperiore mundo nobilioribus ſenſibus erat præditus, deinde exiſtat in infimo atque ignobili: reſpõdebimus ſenſum in illo ſupremo orbe, nobili ſubſtãtiæ eidémque intelligendi vi præditæ, inhærentem, diſparem eſſe & huic ignobili dißimilem. Quia in illo lõge ſuperior eſt. Si quidem ſenſus vnus alterum ſuperat, non aliter quàm de iis quæ ſentiuntur vnum altero eſt præſtantius. 1 Quare inferioris hominis ſenſus ab illius ſuperioris ſenſu dependet, hicque cum

illo coniungitur: eadémque ratione homo hic ab illo sensum accipit: quemadmodum ignis hic cum superiore coniungitur ab eodemque profluit. Porrò ei etiam animo qui in superiore mundo est, sensus insunt: quoniam illic corpora sunt vniuersa, sicut & hic singula. Animusq; illa superiora sentit, sicut homo qui secūdarius est & illius primarij quædā imago, hæc inferiora. Itémque homo hic cum corpore coniunctus magis sentit: ille verò incorporeus magis intelligit. Et cū illi primario rationes ad agēdum efficaces insint, amplius etiam lumen suum cum secundo homine communicat, atque etiam cum tertio qui in mundo est infimo. Quæ cum ita sint, homini corpore constanti vtriusque hominis prioris, cuius imago est, operatio inest. Quoniam opera quædam edit hominis ratiocinantis & eius qui ad intellectum pertinet: quanquam vtraque imperfecta, quia imago est alterius imaginis. Iam igitur confirmatum est primarium hominem sentire altiore sensu quàm infimum: superioráque nullam vim ab inferioribus influentem recipere, sed contra, inferiora à superioribus. Quandoquidem ab illis pendent, cum eadem sequantur, quibus in suis qualitatibus aliqua ex parte sunt similia. Itaque homo hic ab illo supremo vim accipit & quanquam etiam sensus sit particeps, minime tamen hunc cum illo parem habet qui pure sentit, vt pote ea quæ sunt altiora. Illic nanque aspectus vniuersa intuetur, hic singula, propter imbecillitatem. Ille quoque potentior est, quoniam incidit in obiecta illustriora & insigniora quàm sensus, qui cum corpore coniunctus, imperfectus est: vt pote qui ignobilia intuetur & vilia, in quibus superiorum sunt simulachra. Homo itaque qui ad intellectum pertinet, potens

eſt & talem habet ſenſum qualem expoſuimus.

SCHOLIA.

1 Sæpe enim antea dictum eſt ſingularum rerum imagines hoc ſenſili mundo contentas, ſe habere ad ſuas ideas eodem modo quo totus ſenſilis mundus ad totum intelligibilem. Quare vt antea quoque eſt poſitum omnia quæ ſunt in ſenſili mundo eſſe etiam in intelligibili, ſed modo meliore & eminentiore: ſic quæcunque ſunt in homine hoc (præter ea quæ ad imperfectionem materię pertinent hán cque ſequuntur) eadem erunt in hominis idea ſiue in homine primario & ad intellectum pertinẽte. Porrò hic triplicem hominem indicat: ſicut & Plato in Timæo, triplicem mundum.

Rerum omnium formas mundo intelligibili contineri, & quo modo in illo viuantur. Cap. 7.

Si verò cum iam à nobis dictum ſit ſenſum infimum ab illo excellentiſſimo habere originem, rurſum aliquis percontetur quid de cæteris animalibus ſit conſtituendum, quo modo ſcilicet ea deus procreauerit, an primum animo conceperit formam equi aliarúmve belluarũ: deinde ea in mundo hoc ſenſibili procrearit, non autem in mundo intelligibili: dicemus id quod anteà probatum videtur iis rationibus quæ ad demonſtrandum ſatis habent virium, deum omnia, nulla antegreſſa deliberatione procreaſſe. 1 Prius ſi quidem ſupremum mundum, in quo ſine vlla cogitatione conſtituit formas omnes puras atque perfectas: vt pote quæ cum ſua eſſentia, ſine affectionibus ſunt procreatæ: poſtea verò mundum hunc in ſenſum cadentem, vt imaginem illius qui interitus omnino eſt expers. Quare cum equum aliámve belluã, procreauit, non ſolum in orbe ſupremo (in quo puræ perfectæq; animalium omnium ſpecies altiore quodammodo collocatæ ſunt) ſed etiam in hoc infimo belluas procreauit. Alioqui in illo procreandi vis aliqua ex parte eſſet imminuta: quod dici nullo modo poteſt. Præſertim cum virtus ab hac alia nulla, ad

la, ad omnia extendatur, eáque nec ad locum vllum deferatur, nec eo certo concludatur, cum ſit infinita. Si quis verò amplius vrgeat credibile quidē eſſe animalia quæ rationem habent, cum ſint nobilia, in ſuperiore mundo exiſtere, multitudinem autem belluarum rationis expertium maximéque ignobilium in eodē eſſe, probabile nullo modo videri: nos ad eius explicationem afferemus, opificem primum vnum eſſe eiuſdémque eſſentiam (ſicut ſæpe iam dictum eſt) eandem eſſe cum exiſtentia: 2 atque hunc procreauiſſe mūdum intelligibilem vnicum. Sed quoniam dedecebat rei procreatæ vnitatem, procreantis vnitati omnino æqualem eſſe (nec enim ſunt eadem) idcirco quod primum procreatum eſt, deinde pura procreat. Si quidem poſterius eſt eo procreante quod vnum eſt omnino: Præſertim cum illi æquale eſſe non poßit, prius verò multo minus. Non eſt igitur cū illo æqualiter vnum. Itaque plura eſſe oportet. Quoniam multitudo vnitati ita eſt contraria, vt inter ea nihil ſit interiectum. Vnúmque perfectum eſt, multitudo imperfecta. At ſi multitudo eſt, ſaltem binario eam oportet contineri. Quod autem ex duobus vnum eſt, abſolutè vnum eſſe non poteſt. Quanto vero minus ex duobus vnum fiet, eo modo quo vnum eſt eorum quodlibet ſingulum? Nam in binario primum deprehendes motum & quietem: & quamuis ei intellectus inſit, non is tamen eſt qui vnus eſt maximéque abſtractus, à quo omnes alij originem habent, & per quem omnia intelliguntur: ſed qui multiplex effectus eſt, ſicut & alij multi intellectus. Quos animus ipſe ſua multitudine vincit: qui inter eos exiſtit non vt vnus ſeparatus, ſed vt in quo omnes alij animi vniuntur. Vt pote à quo tanquam ſolo perfecto ma-

nat intelligendi vis quæ ſingulis ineſt. Cúmque inter varias animi ſpecies dubium non ſit quin is ſupremo orbe contineatur qui intelligentiæ eſt particeps, in eodem quoque reliquos oportet exiſtere. Atque cum illic materiæ expertes ſint, erunt etiam & animalia materiæ expertia. Effectum itaque eſt mundum ſupremum omnium animalium varias formas in ſe continere.

SCHOLIA.

1 Quoniam deliberatio dubitantis eſt de mediorum delectu, nec ſatis habentis definitum quod ſequatur: & eius, qui progreditur à præcognito ad incognitum diſcurſu quodam cogitationis. Quorum neutrum in deum cadere poteſt.

2 Hoc ante dictum eſt de formis omnibus à materia ſeparatis quæ hac nota à formis cum materia communicantibus ſunt diſtinctæ. Quoniam harum exiſtentiam in rerum natura variæ affectiones comitantur quæ ad eſſentiam nihil pertinent. At in deo, primo opifice quicquid eſt, deus ipſe eſt.

Explicat eas dubitationes quæ naſci poſſe videbantur ex eo quod concluſum eſt capite ſuperiore, varias formas animalium, etiam vilium, mundo ſuperiore nobiliſsimo contineri. Cap. 8.

Si quis autem contendat poſſe quidem animalia nobilia in mundo nobili collocari, minimè vero ignobilia qualia ſunt quæ rationis expertia: quandoquidem ſi nobile eſt quod rationis particeps, in ignobilibus haberi neceſſe eſt quod rationis expers: ſiq; nobile in loco nobili, in eodẽ, ignobile non poterit conſiſtere: Quo modo enim in intellectu erit, quod non eſt intelligibile? Intellectum vero dico mundum ſupremum, quia totus hic ad intellectũ pertinet: quippe cũ quo & à quo ipſi intellectus ſunt: Id hoc exemplo propoſito ſic explicabimus. Quemadmodum homo infimus ſupremo non eſt perſimilis: quia ille cogitationem non adhibet ad res cognoſcẽdas, ſed cogitante prior eſt: ſic nec belluæ quæ apud nos ſunt,

illis summis, quæ eædem nobilissimæ, omni ex parte sunt similes. Si vero amplius aliquis hoc adiiciat, animal rationis particeps nobile, hic ad res ipsas cogitationem adhibere, alia autem minimè, cur igitur illic omnia sunt in intellectu? Nos quidem dicimus intellectum illic varium esse & multiplicem. Quoniam humanus eo qui ad belluam pertinet, superior est: Ex quo minimè dubium quin humana cogitatio ab ea quæ belluis inest, sit distincta. Siquidẽ cogitationes plures in belluis cũ ratione coniũctæ sunt, ipsaq́ cogitãdi vis in illis intellectus quidam est singulis proprius, per quem distinguunt quæ sensu comprehendunt. Vis autem cogitandi in homine, rem sensu perceptam ad intellectum defert: quam si approbet, simul quoque recipit: si vero improbet, reiicit. Nonnunquam etiam reflexus ad sensum iterúmque ad se reuersus, rem eandem sæpius apud se versat: donec ei vt manifestam veritatem habenti, omnino assentiatur. Si quis hoc quoque scire velit cur cum belluarũ vtrarúmque functiones cum cogitatione coniunctæ esse dicantur, non sint inter se pares: aut si ratiocinandi facultas cogitationis humanæ causa est, cur ad eiusmodi cogitationem non sint omnes homines ex æquo parati: cõstituendum est cogitationum inter se quandam esse differentiam, itémque intelligendi vim ab illarum vitæ motibus originẽ habere. Propter hæc enim animalia superna & infima diuersa extiterunt, diuersúsque in eisdem intellectus, sicut & cogitandi vis. Si quidem illa his perspicaciora sunt. Quoniam humanus intellectus primis intellectibus propinquior est: atq; idcirco aliis quoque clarior. 2 Intellectus enim quidã primus est, vt diuinus: alius secundus, vt ratiocinans & humanus: tertius infimus ra-

tionis expers, vt belluarum, qualis est cogitandi vis ab illo nobilissimo intellectu longo interuallo seiuncta. Animal etenim quod hic rationis particeps dicitur, illic quoque est eiusmodi: & quam hic dicimus belluam, ea illic intellectũ habet. Si quidem cogitandi vis quæ secundo equo inest, illic intellectus esse dicitur. Neque enim equus potest intelligi nisi cogitandi vis in equo primario, intellectus sit. Quoniam intellectus idem est cum re quæ intelligitur, ex eóque intellectus id solum intelligit quod muneris intelligendi etiam est particeps. Ac vt vita quæ singulis inest, sine vita absoluta nõ est: sic neque intellectus singulorum sine intellectu absoluto: imo verò ab ipso est. Quare hoc quoque asserimus nullius belluæ intellectum, sine intellectu absoluto existere. Intellectum autem hũc absolutũ cum homini inesse cœpit, singularem esse factum & à se ipso alterum: itémque cum equo inerit, singularem fieri & ab humano diuersum. Quod de reliquis animalibus eodem modo est intelligendum. Quotiescumque enim intellectus descendit, ignobilior efficitur: quãtóque vitæ facultas infirmior redditur, tãto quoque ille imbecilior. Vnde animal obscurũ & ignobile existit. Cui quando imbecillum ingenium inest, intellectus compensans valida membra dat, ad æquandam facultatem: vt verbi gratia canibus, quos pro vita deficiente, sic quadam ex parte perfecit. Oportet enim animal vnumquodque perfectionem aliquam consequi ab intellectu in quo virium vitæq; est principium. Quibus si quis opponat reperiri bruta quædam animalia imperfecta tantáque imbecillitate prædita vt noxia à se non possint repellere: dicemus in natura talia esse perpauca.

Primum

SCHOLIA.

1 Primum enim intelligibile in se continet rerum omnium ideas: quia idea est idearũ omnium. At primus opifex idem quoque est primum exemplar rerũ omnium: quoniam, vt sæpe antea dictum est, omnia procreant se ipsum intuendo. Atque primus opifex rationem habet primi intelligentis: cuius maiestate parum dignum videri potest rerum quarundam imperfectarum exemplaria eo contineri qui summa est omnium eorum quæ sunt perfectio.

2 Omnem vim iudicandi atque discernandi vnum ab altero, intellectus esse vult & rationis cuiusdam, nouo quodam philosophandi modo. Sicque belluas, quia vnum ab altero discernunt & diiudicant (quod Arist. fatetur libris de animo) rationis & intelligentiæ quodammodo participes esse vult: sed secundum eum gradum qui omnium est infimus.

Cur sensilem mundum rebus specie differentibus constare oportuerit, & quo modo hæ intelligibili mundo habeant suum exemplar, cui similitudine quadam respondeant. Cap. 9.

Porro animalia in ordinem adducta sunt & omnia pro sua capacitate, perfecta. 1 Quoniam à primario intellectu pro sua facultate intellectum & vitam habent. Neque enim, vt diximus, rationi erat consentaneum vt quod procreatum est, vnum esset omnino, suóque authori omni ex parte æquale. Quare proculdubio vnum esse oportuit ex pluribus compositum. Ex pluribus autem similibus componi non potuit: alioqui de iis vno sufficiẽte, alterum fuisset ociosum. Itaque ex dissimilibus procreatum hoc oportuit: singulis eorum seorsum existentibus, secundum formas proprias. Formarum enim dignitas existit secundum nobilitatem similium animalium: quorum vnum sub altero continetur. Necesse est ergo animalium gradus esse inæquales. Quorum singulis consecutione quadam, sentiendi vis inest ad cuiusque naturam accommodata. Sic orbis hic infimus rebus cõstat inter se differentibus, quarum vna alteram dignitate vincit. Hæque singulæ quodam modo vnius mundi rationem obtinent, qui sua quoque dignitate est exornatus. Quibus ita constitutis,

reuersi ad id quod initio erat propositum, colligimus tandem omnem formam naturalem aliam quandam sibi similem atque respondentem in supremo orbe habere, sed nobiliorem.
2 *In hoc enim ea à materia pendet: illic verò minime: hæcq; illius est imago. Quare illi etiam insunt ignis, aër, aqua & terra, quemadmodum & plantæ. Si quis autem disputet talia in supremo orbe esse nō posse: quoniam si insint ea necesse sit aut vitalia esse, aut vitæ expertia: si verò illa vitæ expertia sint, quo modo hæc illis indigent? aut si vitalia esse dicantur, quomodo talia extiterunt? Respondebimus plantas illic vitales esse, quoniam etiam viuunt. Plantæ autem supra animum qui proprius est & cum materia coniunctus (quandoquidem hic planta materiata est) nobilior quædam ratio inest vitæ effectrix. Atque vero consentaneum est, rationem aliam inesse plantæ superiori eidémque primariæ atque nobiliori. Quoniam hæc ratio inferior ab alia dependet rationésque istiusmodi multæ sunt & singulares. Singulum autem est ab vniuerso. Vt ex iis effici videatur plātam hanc compositam illius vniuersæ ramum quendam esse. Quare si hæc vitalis est, multo magis illam superiorem, quæ primaria est atque vera, vitalem esse oportet.*

SCHOLIA.

1 Mundi sensibilis pulchritudo in partium quibus constat varietate consistit, & in proportione quam hæ, quanquam maxime variæ, ad inuicem obtinēt. In qua apparent Empedoclis, concordia & discordia: Platonis. idem & alterum itémque in similitudine dissimilitudo, sicut in dissimilitudine similitudo.

2 Pendere formam à materia in sensibili mundo, intelligere oportet non tanquam à principio superiore: sed vt ab eo cum quo necessario communicat & à quo accipit suarum functionū instrumenta, sicut autea pluribus locis dictum est.

Terram mundi sensibilis vitæ participem esse: Vnde concludit idem longe verius de terra mundi alterius dici posse. Cap. 10.

Vtrum vero terra orbis ſupremi vitalis ſit, intelligere poterimus cum hanc infimam, quæ illius imago eſt & figura, erimus contemplati. Huic autem vita quædam ineſt & ratio vitæ effectrix: ſicut argumento eſſe poteſt forma eiuſdẽ commutabilis. Si quidem ipſa accreſsit montéſque (qui naturam terrenam habent) cõgregat atque eiſdem dat incrementũ. In mediis etiã montibus meatus plurimi interiecti & cõcauitates riuiq́; & alia quædam per animũ, qui eiuſmodi formarum cauſa eſt effectrix. Talis vero terræ ratio formatrix interioribus operationibus, ſecũdum naturam ſibi ſimilem efficit arborem arboriq́ue ramum, poſtquam exciſus eſt. Ex quibus colligemus rationem animi, terræ ineſſe, etiam ſi hæc ſuapte natura ad ſeruiendum ſit comparata. Neque enim ea vitæ omnino expers, vſqueadeo admirãda opera poſſet edere: ſed ſi vitæ opera exercet, eandem quoque vitæ participem eſſe oportet. Si vero terra hæc quæ in ſenſum cadit, vitã habet, quanto magis ei inerit quæ primaria eſt? præſertim cum hyc ſecunda tantum ſit & ab illa exorta.

SCHOLIA.

1 Hoc de montibus dubitationem habet, an exiſtant in terra per coaceruationẽ materiæ extrinſecus factam, an ab interiore principio materiam eandem immutante & diſtribuente. Poſterius animi eſt, prius non item. Quo etiam modo de lapidibus quæri ſolet an vt animati in eadem terra generẽtur & accreſcant, quod Mercurius Triſmegiſtus exiſtimauit.

Explicatur perfecta conditio omnium eorum quæ ſunt in mundo intelligibili, & qualis in eodẽ contemplatio. Cap. 11.

Hoc etiam affirmamus omnia quæ in ſupremo mundo ſunt, illuſtria eſſe, vt pote quæ clariſsima luce perfruuntur. Quare eorum quodlibet alia omnia per eſſentiam & in alterius eſſentia intuetur: illicq́; omnia ſunt in ſingulis itém-

que in omnibus & lux ab eisdem exorta, est infinita. Ac de illis vnumquodque sua maiestate (cuius virtus infinita) est maximum atque purum. Illic quoque vicißim retro cōmeando licet exempli gratia, dicere, solem esse stellam omnem, & omnem stellam, solem. Sed quæ supra alias excellit vocatur sol: quæ vero nō excellit, ea absolutè stella nominatur. Sícque quoduis in altero cui inest, conspicitur, & vniuersum in vnico videtur, vnicúmque in vniuerso. 1 Illic quidem motus est, sed occultus: quoniam neque principium habet, neque finem, nec ab eo quod mouetur diuersus est, sed illud ipsum est. Ibidémque perfecta quies, neque per motum descripta. Non enim ea motū continet. Sensus quoque perfectus: quoniam nihil omnino est quod illo non poßit percipi. Summáque in eodem firma sunt & constantia atque adeo ipsa terra. Si quidem ea illic talis non est, qualia sunt hæc infima. Est quidem superna substantia infimæ similis, cum qua genere conuenit: sed hanc dignitatis gradu superat. Neque vero adhuc locus quisquam est superior in quo sit: quoniam ipsa sibi eum subiicit & supra eundem attollitur. Cōsimili autem modo se hăbent intellectus orbésque cælestes aspectabiles & lumen syderum eiusdémque lux superior. Si quidem de ipsis orbibus vniuscuiusque ab altero, suo loco distinctus est rationémque parti, habet à toto distinctæ. Non sic vero se habent partes cælestium orbium qui in mundo sunt ad intelligentiam pertinente. Quoniam in illis pars qualibet cum toto est eadem, partéque perspecta totum quoque perspectū est: sicut & contra totum intuendo, partem quamlibet perspicis. Quandoquidem dum aspectus in vnam partem extenditur, subtilitate sua ac celeritate omnia penetrat: non aliter quàm

ſi quis terram intuens, videret etiam ea quæ in hac ſunt intima. Contemplatio quoque ſupremi mundi, intellectui nullam defatigationem parit, neque ſatietatē, aut tædium. Quoniam in ea nihil omnino deficit: illicq; intellectus contemplans non tantum vnam partem intuetur, ſed omnes quæ ſunt optimæ, & à quibus voluptate afficitur. Si vero vnam tantum partem intueretur, ea neque eſſet optima neque intellectui voluptatem allatura. Præterea quæcunque eſſentiæ illic ſunt, interitus expertes ſunt, nec vllum vnquam finē habituræ. Neque vero (quod in aliis contingit) qui illic alia intuetur, amittit aut reſtingui in ſe ſentit cupiditatem harum rerum inſpiciendarum: ſed quo magis contemplatur, eo magis expetit & admiratur, neque intuendo defatigatur, ſed magis ac magis confirmatur. Neque ſubſtantiæ illic degentes vitam habent laborioſam, aut vllis calamitatibus obnoxiam, ſed ſuauem. Quoniam puræ ſunt & materiæ omnino expertes.

SCHOLIA.

1 In mundo enim intelligibili motus nullus eſt, in quo manifeſta ſit temporis ſucceſsio, in qua principium à fine, medio interiecto diſtinguitur. Quoniam illic omnia ſunt momentanea & ſupra temporis menſuram poſita. Vbi perfecta quies ex perpetua naturæ conſtātia intelligenda eſt, non ex comparatione cum motu, vt ab hoc quaſi quædam remiſsio vel intermiſsio eſſe dicatur. Sic enim ea ſola propriè quieſcunt quæ aliquando mouentur. At ea quæ ſunt in mundo intelligibili, motus omnis propriè ſunt expertia: quod ſuo loco antea monuimus.

2 Hoc ipſo quoque cæleſtium intelligentiarum contemplatio, à noſtra, vita hac diſtinguitur. Hæc enim laborioſa eſt & defatigationem habet adiunctam: illa nō item. Idque ex eo proficiſcitur quod noſtra contemplatio coniuncta eſt cum diſcurſu cogitationis à præcognito ad incognitum, in quo laborioſum quiddam eſt, quod cum phantaſia communicat. Illa vero, vt ſæpe antea dictum eſt, conſiſtit in ſolo intuitu, ſine vllis inſtrumentis.

De authore omnium eorum quæ ſunt in intelligibili mundo, quæritur, itémque de ipſo verbo, quo modo ſe habeat ad mundū intelligibilem & ad huius authorem. Cap. 12.

Quæ etiam in illo ſupremo orbe ſunt, eadem procreata ſunt à verbo primario, in quo ea ſubſtantia eſt quæ inter omnes obtinet principatum.1 Non ita tamẽ vt eſſentia prius, poſterius intelligendi functio procreata ſit (ſicut in ſecundis ſubſtantiis contingit) ſed duo illa ſimul procreata ſunt. Quoniã intelligendi munus, ipſius intellectus eſt eſſentia. Hoc tamen adiicio, quod intellectus ſe ipſe primo intelligit: ſecundo autem ſuum intelligendi munus. Quemadmodum Iouis ſtella reflectitur ad ſuam ſubſtantiam, quam propriã habet inter cæleſtia quæ terrenæ ſunt imagines & figuræ à ſupernis impreſſæ. Itaq; illa affecta ſunt qualitatib⁹ admirãdis, ad quas nulli penetrant, niſi poſt multiplicem in contemplando conatum, viri beatiſſimi. Præcipuè vero eſt eiuſmodi verbum diuinæ ſapientiæ, omnium potentiſſimum. Quis igitur maieſtatem & virtutem eius, vt pote principis, poterit complecti & eiuſdem veram eſſentiam intueri? In hoc verbo omnia ſunt aſpectabilia & ab hoc quoque procreandi poteſtas omnis deriuata. Eſt enim verbum eiuſmodi virtus actúſque princeps, proximus primo procreatio: in quo poſtea, nullo alio medio interiecto, cauſa extitit omnium aliarum ſubſtantiarum ad intellectum pertinentium: per quas intermedias omnia quæ in ſenſum cadunt, intellectu agente continentur, tanquam eo quod primo procreatum eſt, & ad quod vt eiuſdem opera, certam proportionem habent: Sicut & ipſe intellectus agens, ad ſupremum opificem, cuius etiam opus eſt. Ad quem vt magis vniuerſum contemplando conuerſus, attellitur atque communis cauſa efficitur procreans alia omnia quæ ſuo ordine ſubiecta ſunt atque diſtincta.

SCHOLIA.

1 In formis cum materia communicantibus, ordine prima est essentia, secunda facultas essentiæ, tertia functio à facultate manans. At in formis primis & puris omnino à materia separatis, nulla est eiusmodi distinctio neque hæ nouam perfectionem vllam acquirunt, per excitationem facultatis ad nouum actum: sicut de Dei à nobis disputatum est contra Thessalum Methodicum Commentario in Alcinoum.

2 Tales sunt Philosophi. Quorum animos refert Alcinous ex Platone cap. 20. magnis & admirandis bonis abundare: & à corpore separatos, deorum consuetudine & mensa frui, cum illis habitantes & veritatis campum perlustrantes. Quoniam in vita hac illius cognitionem expetiuerunt eiusdémque studium omnibus rebus aliis posthabitis, coluerunt.

Quibus gradibus nobis ad mundi intelligibilis cognitionem sit ascendendum, quóque hæc à communi cognitione humana distinguatur. Cap. 13.

1 *Nemo verò potest ea quæ in supremo orbe sunt, penitus intueri, nisi qui auctus viribus intellectus, sensus composuit, quique assidua mentis contemplatione scientiam adeptus est, minimè tamen per eas rationes quæ ductæ sunt à rerum imaginibus atque signis, quales sunt dialecticæ. Nos verò minime ad illam luculentam pulchritudinem contemplando aspiramus. Quia sensus dominantur, neque quicquam assentiendo probamus, nisi quod cum corporibus est coniunctum. Ex quo accidit vt non opinemur nos quicquam discere, nisi conclusiones eliciendo ex pluribus principiis antea positis. Quãquam neque hoc verum est in omnibus disciplinis, quarum cognitio in vita hac comparatur. Quoniã principia quædam euidẽtia discuntur, etiam si hæc nulla facta ex aliis deductione probẽtur. Quia ipsa prima sunt. Quãto magis igitur illa superiora intelligẽtur, quanquam ex principiis nullo modo sint cõclusa? Sed illic absolutè veritas perspicitur, sine vllo omnino errore aut fallacia: quandoquidem illa non per mediũ cognoscũtur. Cum enim simplicia sint, nihil admixtũ*

habent quod alienum ſit, vel aduentitium. Qualia multa inter ea quæ terrena ſunt, incidunt, quæ non verè perſpiciuntur. Itaque qui de ſupremo mundo talis ne ſit qnalem deſcripſimus, adhuc dubitat, is ab illo auerſus eſt. Qui vero inter nos animum ſuperauerint, hi illum talem manifeſte deprehēdunt. Quare rurſum dicamus Babyloniæ regem orbem illum mēte contemplatum & eorum quæ in eodem viderat, adhuc memorem hæc retuliſſe, illic non eſſe quicquam in altero: neque amplius quale id eſſet expoſuiſſe: ſed inchoatam narrationem dimiſiſſe, ad quam abſoluēdam exordium eiuſmodi conſtituatur. Omnia effici per aliquam ſcientiam, ſiue partam, ſiue ingenitam: ſcientiámque partam, naturæ quandam imitationem habere, hoc ipſo ſcilicet quod ſciens ad id aſpirat vt aliquid reddat naturæ ſimillimum. Scientiam autem ingenitam naturalémque non eſſe multiplicem, ſed vnicam. Quæ ſi talis inſit intellectui agenti atque primario, per ſe ineſt, nec eam potuit ex alia priore diſcendo comparaſſe. Si quis autem quærat vnde hæc profecta ſit intellectus agentis dignitas, eam illi à natura propriam eſſe dicemus: in eóque conſiſtentes, ad aliam rationem non progrediemur. Si quis verò neget intellectus agentis ſcientiam naturalem eſſe, eo redarguetur, quod ſi in illo eiuſmodi ſciētia parta dicatur, per aliam ſuperiorē eum didiciſſe, aut per eſſentiam propriam, erit neceſſe: quod fieri nullo modo poteſt. Si quidem neque intellectus agens talem eſſentiam à Verbo diuino accepit, vt ſua eſſentia ipſa ſit ſcientia, quemadmodum ipſum Verbum: ſed intellectus agentis ſcientia, in eodem qualitas quædam eſt, non eiuſeſſentia. Scientia autem vera ſcientis eſt ſubſtantia: ſubſtantiáque vera eiuſdem

eſt

est scientia. Atque hanc scientiam quam veram dicimus, substantia prima à se ipsa habet: nec vlla substantia tali scientia carens, vera est substantia: sed, quod est consequẽs, ea tantum quæ secundum partem dicitur.

SCHOLIA.

1 Hic manifestè declarat quod antea sępe significatũ est, summũ & perfectissimum contemplationis philosophycæ gradum positum esse in mentis ecstasi & raptu à corpore ad ea quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Cuius beneficio qui fruuntur hi sublatis impedimentis quæ ex corpore nascebantur, diuina intuentur: ad quæ nullo cogitationis discursu, nulla humana argumentatione potuerunt peruenire.

2 Habitus iste, mentis proprius est, quo continetur cognitio principiorum omnino primorum: isque certior scientia, quæ conclusionis est per illa principia demonstratæ, sicut Aristot. docuit lib. 6. Ethic. & cap. vltimo lib. 2. Analyt. post. Quanquam propter eas tenebros quæ nascuntur ex corpore, principia nobis innotescunt inductione facta per singularia: quemadmodum & causæ, per obseruationem rerum effectarum, à quibus tamen secundum naturam non possunt probationem accipere.

3 Platonicorum consuetudine, ea quæ diuina sunt, quia humana ratione doceri non possunt, commemorantur vt ab iis accepta quibus credendum illi arbitrabantur quod quo minus aberant ab ortu diuinà que progenie, eo melius rerum causas cernerent. Sicut colligi potest ex iis quæ initio Timæi Plato cõmemorat dicta Soloni à quodam sacerdote AEgyptio. In quo genus quoddã est Philosophandi quod Aristoteli, naturæ genio, in physiologia nullo modo potuit placere.

Superiora reuocat ex Platonicis, sicut & Platonica ex AEgyptiis; qui locus pertinet ad intelligendam huius operis inscriptionem.

Cap. 14.

1 *In iis quæ mundo supremo continentur, nihil est secundum substantiam altero nobilius, sed omnia in illo sunt secundum formam optimam: quemadmodum & formæ quæ in mente architecti effectrices sunt, inter se sunt pares & à rebus effectis differunt, vt exempli gratia ab iis figuris quæ parieti sunt inscriptæ. Quare illas supremi mũdi*

formas, veteres exemplaria appellauerunt: in quibus 2 Plato inferiorum ſubſtantiam ſitam eſſe dixit. Sapientéſque Babylonij & Ægyptij mẽtis acumine ad illa ſupremi mundi abdita penetrantes, eius ſpecies ſcientia complexi ſunt, eáque quam vel ab aliis acceperunt, vel ipſi pepererunt ſibíque ſua profeſſione vendicarunt. Siquidem cum aliquid erant explicaturi, doctrinam adhibebant non humanam, ſed quæ intellectu continebatur. Adeo vt nonnulli eos conſulentes, non ſatis firmiter ſe horum ſermone ſententiiſque oratione expreſſis, eruditos arbitrarentur. Animorum conceptus, ſicut ipſi oculati teſtes ſumus, in lapidibus per figuras deſcribebant: idémque in omnibus ſciẽtiis & artibus faciebant. Deinde lapides in quibus illa erant deſcripta, in templis collocabant & quaſi paginas perlegendas exibebant, taléſque librorum loco, illis erant in vſu. Hoc verò illi fecerunt vt indicarent intellectum agentem materiæ expertem, omnia procreaſſe ſecundum cuiúſque propriam eſſentiæ rationem atque ſimilitudinẽ. Quod in eorundem doctrina optimum fuit atque pulcherrimum. Ac vtinam eo etiam indicarent qua via aſſequi potuerint formas illas admirandas atque reconditas. Eſſet enim illorum factum laude dignius. Quoniam earum cognitio pauciſſimis viris eſt conceſſa.

SCHOLIA.

1 Omnes enim eorum quæ ſunt, ideæ, quanquam ſecundum nos & ex relatione quadam ad res procreatas, diſtinguantur, ac in multitudinem quodammodo abeant, in primi tamen opificis eſſentia vniuntur: ideóque in illa quæ omnino vna eſt & ſimpliciſsima, parem perfectionem dicuntur habere.

2 Hoc genus eſt philoſophandi quo Plato magis quam Ariſtoteles eſt oblectatus: de quo à nobis plura obſeruata ſunt & collecta præfatione commentarii in Alcinoum. Nam vt paulò antè dictum eſt, Ariſtoteles, quem idcirco na-

turæ genium veteres appellauerunt, philosophando eo perducere conatus est ad quod humana cogitatio discurrendo poterat peruenire. In iis verò AEgyptiorum mysteriis fere omnia humanam cogitationem excedunt. Qua ratione potissimum de authore operis huius potest dubitari. Nisi forte in eo Arist. quasi ad tempus deposita sua persona, eam philosophiam quam Plato ex AEgyptiis, peregrinando hauserat, voluit æmulari. De iis autem AEgyptiorum mysteriis & notis vide Iamblichum initio libri de mysteriis AEgyptiorum Chaldæorum, Assyriorum & Cornelium Agrippam cap. 19. lib. 2. de occulta philosophia.

Concluditur ex superioribus quæstio de rerum omnium procreatione à primo opifice.

Cap. 15.

Cum verò Ægyptiorum scientia de supernis rebus admiranda sit, quanto magis admirari nos oportet sapientiam principiis substantias eiusmodi in supremo orbe procreantis? Neque verò inquirendum est propter quid hæc talia sint procreata. [1] *Quoniam ea in dignitate rationes summas sunt adepta, essentiæque puræ sunt, quas complures Deus sine vllo cogitationis discursu procreauit. At inferiorum pulchritudo absoluta non est: quia hæc facta sunt ab agente intuente in illas rationes perpetuas, iam antea expositas: quæ profectæ sunt à primo opifice præter cogitationem pulchritudinis, quæ alterius rationis est. Quis enim nō admiretur virtutem essentiæ in illo ente nobilissimo & supremo, quod quidem cætera omnia procreauit sine vlla consultatione, vi suæ essentiæ in qua inest rationū omnium principatus? Itaque essentia eiusmodi nulla rerum talium exploratione indiget, neque externa pulchritudine. Quoniam ipsa sibi est satis. Idque nos maiorum nostrorum sententiam secuti affirmamus.* [2] *Si quidem illi vno consensu asseruerunt mundum non à seipso factum esse, neque for-*

tuito: sed ab architecto omnium sapientißimo nobilißimóque & ab omni ratione rerum procreatarum abstracto. Rursus tamen nobis inquirendũ est an in huius mundi constructione antea meditando, omnia quæ moliebãtur in se conceperit: atque adeo singula procreando, primum terram vt in orbe mediam, secundo aquam terra superiorem, tertio aërem supra aquam, quarto ignem aëre quoque superiorem, quinto cælestes orbes omnia complexu suo continentes, sexto plantas animaliáque specie quidem à seinuicem differentia, sed in communi animalis natura conuenientia, in vsque externas partes & internas conformando, prout singulæ suis functionibus sunt accommodatæ. Primum verò si formæ rerum quæ mundo continentur singulæ diuinæ mentis cogitatione comprehensæ sunt od opera rectè instituẽda, earum vna prius, altera posterius, vt imago quædã à Deo erit procreata. At in opifice sapientißimo substantiæque suæ nobilitate omnia alia superante, nõ est hoc rationi consentaneum. Neque verò magis dicendum est Deum prius in se ipso cogitatione esse cõplexum res eas quas moliebatur, deinde has procreasse. Res enim eiusmodi cogitatione comprehensæ aut extra illum erãt, aut in ipso. Sique extra ipsum, prius extiterunt quàm creatæ sint. Si verò in ipso erant, antegressa igitur earum comprehẽsione, in cogitatione nõ indigebat. Quoniam ipsæ eo modo se habentes rerum aliarum principia extiterunt. Itémque Deus ipse author est rationis eius quæ cogitationis discursu continetur: neque hãc alia cogitatio est antegressa, alioqui futura esset in infinitum progreßio. Quodquidem falsum est. Amplius, artifex qui prius habet conceptum opus in quod

animum intendit, quodque agẽdo imitatur, ad illud absoluendum instrumentis indiget. At supremus opifex facturus aliquid, nullam aliam rem procreatam imitatur: sed formam ipsam nouam procreat sine alia imitabilẽ: neque ad id pro instrumẽto adhibet rem vllam procreatam. Quia omnino nulla externa re adiuuatur, sed omnia sua virtute perficit. Effectum itaque est Deum, cuius nomen exaltetur, vniuersum procreasse sine vlla consultatione, aut cogitationis discursu. Atque euersæ sunt rationes quibus in partem contrariam aduersariorum oratio niti videbatur. Procreauit autem Deus primo substantiam vnicam, nempe intellectum agentem: quem exornauit lumine inter cætera quæ procreata sunt clarissimo atque excellentissimo. Cuius quidem beneficio suáque virtute & simplicitate, ipse intellectus agens eidem est proximus. Atque hoc eodem intermedio supremus orbis procreatus est, qui intelligentias & animos continet. Ac per eundem innouata sunt inferiora in sensum cadentia, illis contenta & aliqua ex parte similia: nisi quod ea quæ supremus orbis continet, pura sunt perfecta & omnis mixtionis expertia. Alioqui neque perpetua essent, si dissolui possent: & coniuncta essent cum forma prima vsque ad postremam. Materia enim communi forma primum informatur, postea eam recipit quæ propria elementorum indéque alias suo ordine sibi inuicem succedentes. Quare nemo illam subiectam potest intueri: quoniam formis pluribus occultis & ad ipsos sensus minime pertinentibus est induta.

SCHOLIA.

1 Formæ rerum intelligibiles, quæ à Platonicis ideæ nominantur, in mundo

intelligibili originem habent à Deo, eam quæ rationis est tantum: cum reipsa æternæ sint, ortus & interitus omnisque mutationis expertes. Res verò singulæ in mundo sensibili ad earum imitationem ab intellectu agente siue ab ipso verbo per medium mundi animum in materia efformatę, veram originem habent, tantóque illis impuriores & imperfectiores sunt, quanto magis cum materia communicant. Nam à sua forma, quæ ideæ imago est, pulchritudinem quandam accipiunt: sed hæc absoluta esse non potest, quia cum informi materia est coniuncta.

2 Qualis hæc apud Platonicos mundi origo sit, rationis ne tantum an etiam rei, à nobis disputatum est Commentario in Alcinoum, & in lib. 2. prioris nostræ descriptionis physicæ. De qua quæstione si author hic, aliter hoc loco philosophetur quàm lib. 1. de Cœlo, in eo non est satis virium ad efficiendum opus hoc Aristotelis non esse. Quoniam ne ipse quidem Plato de rebus omnibus apud omnes disserebat eodem modo: sicut à Galeno obseruatum in fragmento libri de substantia naturalium facultatum.

FINIS.

INDEX IN LIBROS DE SECRETIORE PARTE DIUINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDUM ÆGYPTIOS. Cuius numerus prior, folium indicat, posterior verò paginam.

A

INDEX.


INDEX.

E.

I.

T

FINIS.



Errata sic corrigito.

Folio 12.*pagina a. linea* 13.*lege Partitio.* 15.*b.* 31. *prorsus addicta.* 17.*b.* 30. *in toto corpore.* 18.*a.* 10. *ab eodem.* *eodem.b.* 5. *aliter enim.* 19.*b.* 34. *diffiniuit.* 24. *b.* 18. *Communi.* 26. *b.* 20. *his rationibus.* 29.*a.* 13. *discernit.* 30.*a.* 20. *anno aetatis.* 34.*b.*27. *per quam iudicat.* 35. *a.* 11. *transferretur.* 36.*a.* 2. *specie.* *eod.*24.*in iisdem.* 39.*b.* 2. *hic intueri.* 43.*b.*3.*communicant.* 50.*b.*5.*in mundo hoc.* 51.*a.*13.*innitum trahit.* *eod.*24.*in instituto.* 52.*b.* 7. *magnam vim.* 65.*b.* 9. *emergit.* 66.*a.* 15. *hortensésque.* *eod.* 18. *viuentia & immortalia.* *eod.é.* 22. *sed eminentiore modo.* *eod.*34.*solo motu.* 70.*b.*26.*nullam cadente.* 72.*a.*16. *excitetur.* 74.*a.* 19. *illo fruebatur.* *eod.* 23. *sine cogitatione.* 75. *b.* 23. *animis eiusmodi.* 76.*b.*18.*absentis mundi.* *eod.*26.*anno ve.* 77.*a.* 10. *praeteriti.* *eod.b.*1.*cōcedantur.* 79.*a.*10.*primus opifex.* *eod.*19.*quod dignitate.* 83.*b.*25. *quem ille.* 84.*b.*9.*cum ea parte.* 85.*a.*11. *esse constaret.* *eod.b.*7.*quem corporis* 89.*a.*5.*cap.*5.*lib.*1. 93.*a.*25.*cum eodem.* 96.*a.*27. *infinitus.* *eod.b.*13.*habent.* 98.*a.*9.*quod à Deo.* *eod.b.*25. *longo interuallo.* 101.*a.*1.*dignitate.* 103.*a.*10.*nō sint.* 104.*b.*29.*cōsentire videtur.* 104.*b.* 30. *veteres Platonici.* 106.*a.* 7. *animum.* *eod.b.* 20. *indiget.* 116.*a.*19.*collegimus.* 113.*a.*23.*repurgatam.* 114.*b.*13.*muneris.* *eod.*17. *& ad.* 119.*a.*24.*superstitem.* *eod.b.*14. *profluat.* 120. *a.* 23. *verò qua.* 125.*b.*23.*confirmari.* 123.*b.*23.*progressio sit.* *eod.*31.*ea par.* 129.*b.*2.*ens autem.* 131.*a.*30.*cōuenientem.* 134.*b.*15.*supernis.* 141.*a.*31.*praescriptae.* 145.*a.* 3. *omnia procreauit.* *eod.* 7. *discernendi.* 146.*a.* 22. *generentur.* *eod.b.*22.*vnusquisque.* *eod.*23.*partis.* 147.*b.*19.*primo procreato.* *eod.*27. *attollitur.* 148.*a.*5.*de Deo.* *eod.*16.*auctis viribus.* 149.*a.*14.*tenebras.* 150.*a.*14.*principiis.* *eod.b.*4.*moliebatur.* *eod.*11. *in iisque.* *eod.*23. *earum cogitatione.*

C.

